THEATRVM BOLDONII CAESARI MONTIO CARDINALI SACRVM.

THEATRVM TEMPORANEVM
ÆTERNITATI
CÆSARIS MONTII
S· R· E· CARDINALIS
ET ARCHIEP. MEDIOLANEN.
SACRVM

Octauio Boldonio Clerico Regulari S. Pauli Auctore

Mediolani, in Templo S. Alexandri excitatum Mense Augusto, Anno CIↃ.IↃ.C.XXXV.



MEDIOLANI, Apud Hær. q. Pacifici Pontij, Typis Archiepisc. 1636.

THEATRVM TEMPORANEVM
ÆTERNITATI
CÆSARIS MONTII
S·R·E· CARDINALIS
ET ARCHIEP. MEDIOLANEN.
SACRVM

Octavio Boldonio Clerico Regulari S. Pauli
Auctore

Mediolani, in Templo S. Alexandri excitatum
Mense Augusto, Anno CIↃ.IↃC.XXXV.



MEDIOLANI, Apud Hær. q. Pacifici Pontij, Typis [illegible]

CAESARI MONTIO CARDINALI EMINENTISSIMO.

✠✠✠✠✠

Octauius Boldonius Cler. Reg. S. Pauli fælicitatem.

QVOD nuper in Templo Alexandrino THEATRVM excitaui, Princeps

Eminentiſsime, id nunc exhibeo in Templo Orbis terrarum. Non fuerat equidem Apparatus montium concludendus in caliginoſo carcere, ſed in aperto Ioue pandendus. Quanquam in hoc MONTIO THEATRO nihil ſpectatur montis: ſed vallem prorſus ipſa characteris humilitas prodit. TEMPORANEVM inſcribo: rectiùs extemporaneum:

raneum:

raneum: quippe non tam digeſtum in tempore Annali, quàm natum ex tempore, ac (planè dicam) præcipitatum. Sed ipſum ÆTERNITATI tuæ, CÆSAR, conſecro, vt Temporaneum perennetur: ſimul ne mercari ſecundam gratiam videar, dum non nouum operæ impendium facio, ſed potiùs famę compendium. Quis verò alius nuncupationem depoſceret

Operis,

Operis, aut cui melius crederem illius patrocinium? Tu tibi antea Theatrum eras, quum adhuc impuber conceptum gloriæ ſtudium religioſè foueres. Iam quoq; ephebus theatrum tui feceras, primùm Vrbi patriæ, deinde Orbi vniuerſo; Maiorum in te collecta ornamenta magnificè proferens: vt propterea hocce THEATRVM, in quo ſpectantur gentilium Montiorum imagines,

gines , imago quædam tui expreſſa videri poſſit. Rem ergo tibi tuam reddo, non trado : &, quæ eſt Cæſaris, Cæſari : Illud fore certò confidens, vt, quando in rudibus meis paginis imaginem agnoſcis propriam, non poſſis non te ipſe mecum, & tecum memet diligere : Congregationemq; meam, quę se vnà deuouet, benignitate complecti, ſtudio conſeruare. Vale.

AVCTOR

AVCTOR LECTORI.

IN tibi CÆSAREM MONTIVM ſiſto, prodigiorum facilè maximum, ni aliud continuò ſuccedat maius; Heroem tantum hiſce concluſum anguſtijs ſpectari. Alij moles excitauere montium, maieſtatemq; argumenti cothurno dictionis pertentauere: eò fortaſſe minùs abfuturi ab apice, quò propiùs ad Gentis nomenclaturam accederent. Ego imbecillitatis meæ conſcius, ſtudui, producto in ſcena Tempore, compenſare ſtyli tenuitatem ratione commenti; prudentiæ ſaltem, ſin minùs ingenij, affectans laudem. Cum enim præclara quæque mortalium, iniuria Temporis proterantur: quantum

illud

illud videbitur ad Cæsaris Montij fęlicitatem, quòd Orbis tyrannum, atq; humani generis perduellem ipse non modò ad fidem suam, sed ad tributum etiam coegisse prædicetur? Nec verò id gratis. Iam victor euaserat Cæsar Temporis, vt hoc iure trophæum posceret. Ecquis ab vlla hactenus audiuit memoria, hominem adolescentem sacris addictum, compendio illo annorum, hoc est intra quintumdecimum, per singulos honorum gradus in Aula Romana ad hoc fastigium supremo proximum aduolasse? Ipse primùm Referendarius (vt aiunt) vtriusq; signaturæ vix creatur à Paulo V. Pont. Max., quum Sacræ Consultationi præficitur. Gregorio Pontifice succedente, succedit in Consultationem vniuersalis Inqui-

sitionis:

ſitionis : nec à priore quidem recedit. Subrogato Vrbano, tertiæ ſimul prouinciæ locum facit, adſcriptus in Congregationem de Propaganda fide. Mox quartam accumulat Aſſeſſor vniuerſalis Inquiſitionis. Inde lapſo triennio, Nuntius renuntiatur Neapolitanus. Vix anni interſtitio, in Hiſpanias migrat Nuntius apud Catholicum Monarcham Extraordinarius, extraordinarium planè negotium obiturus, hoc eſt Mantuani belli extinctionem, vnde Europæ, ne dum Italię ſumma pendebat. Hæc verò ad biennium prouincia, ſanè, quò diuturnior, eò illuſtrior. Qua exacta, in Eminentiſs. Pamphilij ſubit gradum, Nuntius Hiſpanicus Ordinarius, ac Patriarcha Antiochenus: Quodq; inuidiam ipſam vincit, vnà cum Pam-

b philio

philio Cardinalis creatur, ſed ſeruatur (vt aiunt) in pectore SANCTISSIMI, quò viuidior adoleſceret gloria diutiùs innutrita. Veruntamen nihil maius ad gloriam, quàm altero ſtatim Ordinariæ Nuntiaturæ anno, admoueri clauo Mediolanenſis Eccleſiæ, dignum Federici Borromæi ſucceſſione habitum: tùm biennio pòſt renuntiari ſolemni ritu Cardinalem. Vides, vti Virtus, & Fortuna in CAESARE ornando concertent, illa ætatis, hæc rerum ſolicitans curſum: vtraque Tempus tributarium reddens, vt ex ipſa celeritate perennetur Imperium, & ex annorum contracta periodo Mortalitas abortum faciat. Tu itaquè gratulare vrbi patriæ, quæ CAESAREM ſuum vix dimiſſum recipit, triumphum non abſi-

milem

milem illi ſpectans, vbi aureis notis plaudentis Gloriæ, expreſſum legit, VENI, VIDI, VICI. Mihi verò audaciam condona, quòd iucundiſsimis ciuium acclamationibus incomptas meas voces admiſceam: quando vel inconditi clamores theatri, Athletę victoris gloriam condiunt. Vale.

IN THEATRVM

CÆSARI MONTIO

CARDIN. EMINENTISS.

EXCITATVM

Ab eruditissimo Rhetore, & Vate
OCTAVIO BOLDONIO
Cler. Reg. S. Pauli.

CARMEN

Augustini Terzagi S.T.D., Prot. Apost., Oblati, & Præpositi Plebis Neruiani.

✠✠✠

Turba theatrales totiès quid Romula Circos
Extulit, inuentis anxia facta iocis?
Quid Rhodope Orphæos tollit super astra colossos,
Æmulus & dici Domitianus amat?
Quid Nero, quid Cæsar cuneis spectacula lectis
Fecerunt plausum, & sibila voce, manu?
Nobilia Insubri referunt miracula colles,
Quæq; audis, vnus schemata CÆSAR agit.
Infula, purpureo duplex honor additus ostro
MONTIADEM titulis vel super astra vehũt.
Ista tuo, OCTAVI, potes inclusisse THEATRO?
Versibus ampla tuis Amphitheatra facis.

✠✠✠✠✠

EIVSDEM
AD EVNDEM
ALIVD

✠✠✠

Magnum opus, OCTAVI, celebre erexisse THEATRVM,
Quod, non flamma voret, posthuma fama canat.
MONTIADEM exili tentas includere gyro?
Quem non Roma capit, claudere mole putas?
Neptuni soboles transgressa in nubila, & ignes
Æthereos, rutilum condit in axe caput.
Occiduum, & claustri fines euasit Eoi,
Compactisq; alis Dædalus æthra secat.
Ingentem tenui libro expressisse figuram
Difficile est; Video, quid tua mens agitet.
Archimedis opus simulas, tabulam vel Apellis,
Orbem de vitro, de pede fers hominem.

Ἰψὲς

ΠΡΟΣ
ΤΟΝ ΑΝΔΡΑ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ
ΟΚΤΑΟΥΙΟΝ ΒΟΛΔΩΝΙΟΝ
ΠΕΡΙ
ΘΑΥΜΑΣΙΟΥ ΑΥΤΟΥ ΘΕΑΤΡΟΥ

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Καισαρέου ἰσορᾶν ὄρεος γοῦν θαύματά γ᾽ ἦεν,
Ὧ περὶ ὑδ᾽ αὔρα θρύπτεται ἀμβροσίη.
Ἐνθάδ᾽ ἔαρ γεμάδοντα κραδῶν, ἀλλ᾽ ἀναθάλλει ἀγαυλίς
Παντοδαπῶν δώρων εὐπορίην προχέον.
Ἐνθάδε ἀθανάτων στεφάνων ἐξ ἄνθεα θάλλει,
Μῆλα τ᾽ αὐτῶν γε κραδῶν χρύσεα ἐκκρέμαται.
Καί τά γ᾽ ἐν Ἑσπερίδων βλαστεῖ μακάρεσσιν ἀλωαῖς,
Ὅσσα τε ἐν χλοεροῖς Ἠλυσίου πεδίοις.
Οὐκ ἂν τοῦτο δ᾽ ὄρος χθαμαλοῖς γε βροτοῖσιν ἰδέσθαι
Ἄτλαντος δ᾽ ὤμοις κεῖν᾽ ἐπέκειτο βάρος.
Ἀλλὰ γὰρ οὐράνιον τί γε σοῦ Βολδῶνε θέατρον
Γιγνομένῃ γαίῃ τοῦτό γ᾽ ἔδειξε κλέος.

ΠΡΟΣ

ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ

Δίστιχον.

Καίσαρα Βολδώνου ἄδοντος Φοῖβος ἀκούων
Καί σὺ ἔρη ἐν τοῖς μάντεσι Καῖσαρ ἔσῃ.

Sequuntur eadem, ab eodem Auctore
Latinis numeris expressa.

AD VIRVM CLARISSIMVM
OCTAVIVM BOLDONIVM
DE ADMIRABILI
IPSIVS
THEATRO

EPIGR.

Vera fides, en Cæsarei miracula Montis,
Æthereo dulcis quem fouet aura sinu.
Ipsa hic vernat Hyems, hic toto copia cornu
Diuitias grato munere spargit ouans.
Hic immortales cælesti è germine flores,
Aureaq; è ramis pendula poma suis.
Hesperidum & quicquid fælicibus emicat hortis,
Quicquid & in campis nascitur Elysijs.
Non fuerat nostris Mons hic visendus in oris,
Atlantis summo hoc vertice sedit onus.
Sed tua de Cælo ductum, Boldone, THEATRA
Spectandum terris hoc posuere decus.

AD EVNDEM,

DISTICHON.

Cæsaris in laudes dum exurgis, clamat Apollo,
Octaui, vnum tu mihi Cæsar eris.

Antonius Salmatia Sac. Theol. & I.V. Doctor,
ac Protonot. Apost.

ALL'AVTORE DELL'OPRA

DEL SIG. GIO: PASTA.

ODA.

Fama è, che sù la scena
De portenti maggiori il bel Permesso,
Sotto luce serena
Di tributario Ciel, à lui concesso,
Mai sempre verde altrui
Mostri i tesori sui;
Felice sì, che in Primauera eterna
Nato, d'ogn'hor rinasce, e mai non verna.
Non hà del tempo edace,
Che pauentar gl'acuti morsi, e l'onte.
Che chiuso à Borea audace
Il varco impenetrabile; son pronte
A dar l'herbette i gigli,
Primogeniti figli:
E in cara messe il fiore il frutto dona,
Flora imperando in vn, Bacco, e Pomona.
Ma di più illustre sorte
Vanti l'Insubria i suoi pregiati MONTI;
E d'ogni ben consorte
Miri chine à suo prò l'onuste fronti,
Che del tutto fiorite,
Che del tutto arricchite,
Più d'ogn'altra magion ricca, e gentile,
Portino Autunno in sen, in braccio Aprile.

Dirò

Dirò MONTI beati,
Per noi colli propitij, e Paradisi
Quà giù risorti, e nati
A più felici, e fortunati Elisi.
Di sì prodigo nembo
N'è calmato ogni grembo;
E di tal messe, e fertile raccolto
Ne gode ogn'vn trà le fortune auuolto.
Dirò MONTI diuini,
Mentre, che d'ostro imporporata aurora,
Fra Eminenti confini
V'illustra ossequiosa, anzi v'indora.
Ardono i cori intenti;
Bramano impatienti,
Già che l'aurora è sparsa d'ogni intorno,
Vederne in Vatican il chiaro giorno.
E tù di gloria à parte
Vanne BOLDONI, adhor con sì bel lume
Nè rischiari le carte;
E con lodato, e nobile costume,
Nuouo Prometeo intanto
Sai accrescerti il vanto;
E mercè d'vn splendor, che il Ciel n'addita,
Animar i tuoi parti, e darli vita.
Che più? già messo hà l'ale,
E soruola di Pindo ogni grand'alpe
La tua penna immortale:
E in vn portata dal Catai à Calpe,
Porta l'heroiche some,
E'l glorioso nome

D'vn

D'vn CESARE. Ben sai, che à cento, à mille
Fur le glorie del Greco, opre d'Achille.
Sù la Tebana cetra,
A celeste armonia gl'accenti vnisti;
E percotendo l'Etra,
Fur celebrati i fortunati acquisti
Del porporato Duce,
A la cui sacra luce
L'altrui menti arrestaro, indi diuote
Quegli inchinaro, e applausero à tue note.

CAMILLO BOVIO

Sagrifica alla Maestà del Nume del TEATRO: Applaude al merito dell'Architetto.

ALzar Templi, e dedicar Teatri à' Numi eccelsi sono imprese d'Anime grandi, di Eroi. Quindi l'empia pietà de' Romani Imperadori, e Regi pretese di sagrificare all'immortalità del suo nome, mentre sotto pallio di religione, con la struttura di superbissime moli aprì la scuola alle Idolatrie, infamò la fama di quei secoli fortunati. Ottauio l'Augusto frà gl'altri coronò i suoi trofei con l'erettione de' Templi di Marte Vindicatore, di Apolline Palatino, di Gioue Tonante, e di cent' altre Machine illustri, che cessero già all'ingiurie del tẽpo, ludibrio infelice de' mondani fasti. Mà non sono già i Teatri, e i Templi tutti profani: nè tutti falsi i Numi: nè superstitiosi tutti gl'Ottauij. Perche la viua pietà d'vn Ottauio, e d'opre, e di cuore più augusto del Romano erge in questa nostra età, & apre al mondo vn Teatro, che delusi gl'aguati del Tempo durerà immortale: e lo consacra all'Eternità d'vn Nume, che per grandezza di cuore aggiunge splendore al nome di CESARE: per Eminenza di grado, e virtù porta titolo di MONTE: e per diuinità d'vfficio, d'opre, e di spirito partecipa di quello di Dio. A questo gran Nume, perche ad ogn' vno non lece fabricare Archi, e Teatri, porge con l'Oda seguente se medesimo in holocausto il minimo, mà il più deuoto adoratore del vero, del giusto, del buono.

ODA

ODA

O del verace Onnipotente Gioue
D'opre, e di voglie emulator sourano,
Hor che benigno il Ciel per la tua mano
Cari influssi d'amore al mondo pioue;
Quai speranze, quai doni, quai presaggi
Promettono à mortali i tuoi bei raggi?
Sotto gl'auspici tuoi sacro Pianeta
Sarà ricca di fior la PRIMAVERA:
Non di quei fior, che dal mattino à sera
Toccan del viuer suo l'vltima meta:
Mà siano i fiori suoi santi pensieri
De le gioie del Cielo eterni, e veri.
Sarà l'ESTATE di cocenti ardori
Apportatrice, mà gl'ardori suoi
(salua la salma) arderan solo in noi
Con incendio beato anime, e cori,
Che diuerran fra quegli ardor diuini
Salamandre amorose, e Serafini.
Sarà l'AVTVNNO di bei frutti onusto,
Frutti di vita eterna sì soaui,
Che d'ogni Ambrosia, e de' più dolci faui
Saran cibo più grato al diuin gusto,
E fian prodotti dal secondo seme
D'alta pietà, di fè, d'amor, di speme.
Sarà sì fredda la Stagion del VERNO,
Che adugerà de l'anno antico i germi,
E struggerà del senso iniquo i vermi:
Onde l'Alma d'amore al foco interno

Atten-

Attendendo starà con bel desio
L'eterna Primauera in Ciel con Dio.
Hor sè d'vn rio Saturno il Volgo stolto
Aureo già disse il secolo corrotto:
Questo, che vn giusto Gioue ci hà prodotto,
E in se racchiude ogni gran bene accolto,
Ah ben si dee nomar con più decoro
Secol di Paradiso, e non de l'oro.

DEL

DEL SIG.

EVSTACHIO GIACINTO FAGGIO PREVOSTO DI BRIVIO,

Sopra il THEATRO del P. BOLDONI, con allusione alle quattro stagioni simboliche.

SONETTO.

Poiche de l'huomo i temerarij denti
Sbandiro dalla terra l'alma pace
In ogni parte l'Acherontea face
Sueglió fiamme di sdegno, e d'ira ardenti.
Che però fra di lor sempre le genti
Fur viste essercitar il ferro audace,
Ed vnione non fù mai verace
Fra le belue, le piante, e gl'elementi.
Nelle Stagioni ancor perpetua guerra
Durò poi sempre: ond' all' AVTVNNO il VERNO
E à PRIMAVERA fù nemica ESTADE.
Mà come in pace hor le raccoglie, e serra
Si bel THEATRO? Ah che s'io ben discerno
Fann' à i piè d'vn gran MONTE hoggi amistade.

Don

Don Baptiſta Cribellus Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Præpoſitus Generalis.

CVM opus, cuius titulus eſt (Theatrum temporaneum, æternitati Cæſaris Montij S. R. E. Cardin. & Archiepiſc. Mediol. ſacrum, Octauio Boldonio Clerico Regulari S. Pauli auctore Mediolani, in Templo S. Alexandri excitatum) duo eiuſdem Congregationis periti viri, quibus id commiſimus, recognouerint: facultatem concedimus, vt in lucem edatur, ſi ita ijs, ad quos pertinet, videbitur.

Dat. Mediolani in Collegio noſtro SS. Apoſtolorum Pauli, & Barnabæ die 29. Auguſti 1636.

Don Baptiſta Cribellus Præpoſitus Generalis.

1636. prima Septembris.

Imprimatur ſupraſcriptum Opus.

Fr. Franciſcus Carenus S. Officij Mediol. Commiſſarius.
Io: Paulus Mazuchellus pro Eminentiſſimo D. Cardinali Archiepiſcopo.
Comes Maioragius pro Excellentiſs. Senatu.

THEATRI CAMPVS. ET ŒCONOMIA.

EMINET recentis operæ Templum Alexandrinum, deleto vetere, in meditullio vrbis amplissimæ, præcelsum situ, vastitate visendum, structura singulare: Æmulum Vaticani miraculi, si opificium spectes: si figuram, Solymæ cælestis. Quippe Diuorum quoq; vniuersitati dicatum, in quadrum surgit. Platea frontem exornans, tùm amplitudine sua, tùm plurium concursu viarum, magnificentissimum Templo vestibulum aperit. Frons ipsa ternis ianuis à plateæ solo per gradus extantibus penetralia recludit Fani. Ea hodie non nisi ad primam coronicem absoluta cernitur. Cæterùm in-

 signis

ſignis ille paraſtatarum tractus cum columnis ſtriatis, ædiculis, feneſtriſq, marmoreis ordine Corynthio colludentibus; & geminæ præterea turres hinc indè ad latera ex fundamentis vſq; naſcentes, inuariatoq; tenore, at validiore forma à curſu reliquo prominentes, eam exhibent ſpeciem, ac maieſtatem: vt, cùm fauentibus Diuis, & turres marmoribus inſtructæ erexerint ſe ſe in faſtigium ſupra ordinem alterum, & Templi teſtudo maxima, ipſas ſupergreſſa turres, immane iugum extulerit, nihil vltra futurum ſit, quod ad oſtentationem artis, ac ſumptus magnificentiam deſideretur. Mediam verò portam, & eam maximam ſubeunti offertur ſtupente oculo quadratæ cellæ vaſtitas in crucis formam ſe ſe pandentis: pilis quaternis inſanæ molis ità diſtinguentibus aream, vt angulos exprimant crucis. Singulæ columnas teretes binas oſtentant ex porphyrite (vt aiunt) Italico, ſtylobatis impoſitas candicantibus, & maculoſis: quarum capitulis coronæ nituntur ingentis proiecturæ, Templum omne ambientes: atq; his fornices maximi in quadrangulum circumducti, vt ſummam teſtudinem, tholumq; ſuffulciant. In conſpectu eſt Ara maxima, iugum crucis deſignans: Ad cornua dextrum, læuumq;, æqualis amplitudinis Aræ duæ: hæc Diuæ Virgini, illa Ioſepho Sponſo Sacræ, ſub ijſdem fornicibus omnes conditæ. Sed à tergo pilæ ſingulatim ad oppoſitos parietis angulos, fornices alij minores cum media camera ſic protenduntur, vt quaquauerſùm tenderis, pro-

currat

currat porticus ad longum oculi coniectum: & quod omnem superat artis industriam, vbiq; Sacello terminetur prospectus, præterquàm in valuis; quæ Templi aditum instar Basilicę duabus contentæ porticibus patefaciunt. Itaq; quod inter minores fornices in interiori parietis curuatura excurrit spatium, Sacellis aperitur per ædes maximè capaces dispositis. Infra fornices ædiculæ cameratæ vtrinq; patent ad sacras Confessiones, structura quidem, & magnitudine reliquo molis haud absimili. Sed non ea mens est exactè singula persequendi. Sicut enim alias manus Templum expectat, quibus absoluatur: sic, vt digno describatur charactere; longè aliud exposcit ingenium. Sat fuerit ad rem præsentem, ipsius Templi Aream, Positionem, Ichnographiam, membraq; præcipua retulisse, quæ Theatro Montio campum aperuerunt. Si quidem ædibus nostris nondum ritè extructis, vt nullus ideò siue in Claustro, siue etiam in Gymnasio suppeteret locus tantæ capax Amplitudinis (qui enim vel publici Penates Montem capiant?) subiuit Patribus, Templum ipsum destinare, perquàm idoneum ratis, in loco Sacro Sacratum laudare virum, & Montis vastitatem vastissimo sinu complecti. Loci igitur ratio non tàm suasit, quàm adegit ad opus quadripartitum excitandum, vtq; præpostero ordine argumentum theatro, non theatrum argumento seruiret. Tametsi in sylua frequenti facilè prompta est quibusuis machinis opportuna materies. Ac tùm quidem oblata sunt clariora ea

nomina sacrarum Dignitatum in Cæsare, Nuntiatura, Patriarchatus, Purpura Cardinalitia, Archiepiscopatus. Quæ tamen, quò spectarentur gratiùs, producenda fuerant allegoricâ specie veluti personata. Neq; diù venanda conceptio. Ipsum Cæsaris nomen (credo ætate nostra veterem prouocante) Virgilianum illud suggessit,

Nocte pluit tota: redeunt spectacula mane:
Diuisum Imperium cum Ioue Cæsar habet.

Sed & annexa Iouis commemoratio insinuauit facilè Tempestates Anni, quas commenticius ille Cælorum, atq; Aëris Regnator suis vicissim nutibus efficit. Consensere bellissimè cum Tempestatibus ipsis Dignitates. Numerus vtrinq; par, consonantesq; numeri: Nuntiaturâ Veri, Patriarchatu Æstati, Autumno Purpurâ, Hyemi Archiepiscopatu respondente. Agè iam. Intrantibus Templum occurrebat ad dexteram in proximo angulo Ver: in subsequente Æstas: in aduerso Autumnus: tandem Hyems in quarto. Prima siquidem Nuntiatura fuit, Patriarchatus alter: Cui licet ordine inaugurationis successerit proximè Archiepiscopatus, deinde Purpura: Cardinalem tamen priùs audiuit Ciuitas, quàm sensit Antistitem. Ita verò digestæ in Theatro rerum sedes. Ad Aram maximam (quoniam is est primus prospectus) erigebatur in sublime Dedicatio Theatri ex Virgiliano ferè disticho expressa. Ipsam Virtus, & Tempus duo signa colossica ære superfusa gestabant.

bant. Supernè ſtemma familiæ Montię, infernè interpres diſtichi Elogium pendebat. Symbola ſub baſibus vtriq; ſignorum reſpondentia. Sed Tempeſtatum ſingularum vna methodus. Surgebat in fronte pilæ coloſſeum ſignum ære præfulgens, medium inter columnas teretes (Tempeſtatis hic typus erat) inſigne Dignitatis dexterâ protendens manu, læuâ natiuum. Diſticho inſcribebatur ad Virgilianum item alludente. Faciebat coronidem Emblema, figuram exhibens ex ipſa Tempeſtate quæſitam, cum ſubiecto carmine. Cæterùm pila vario luſu Poëſis, ac Picturæ circùm diſtinguebatur in fronte. Inter hos tria ſymbola (ſic placet appellare, pro quibus nonnulli Impreſias vſurpant) tria, inquam, ſymbola totidem reſpondentia menſibus Tempeſtatum. Hæc generatim, & ad Aulæ ornatum. A tergo igitur pilæ, vbi porticus perpetuo tractu Templum ambit, ſedes Confeſſionum, quas diximus, aulæis obductæ præbuêre campum quaternis per Dignitates Virtutibus, ex numero hebdomadarum, quibus ferè conſtat menſis: inſcriptione deſuper ex anteriore fornice imminente. Ordo verò ſigillatim huiuſmodi. Ad ædiculæ fornicem typus Virtutis in tabula medium tenebat ſpatium. Reſpondebat ſubiectum Symbolum, figurâ Tempeſtati congruente. Ad perpendiculum Herma, ſeu ſtatua pectore tenus, imaginem referens vnius ex Montijs gentilibus, ſuperioris virtutis gloria conſpicui: Stylobatæ innitebatur, in quo inciſum Elogium.

Denique in tabellis hinc illinc Epigrammata, laudem producti Viri, ac Virtutis perstringentia; cum allusione ad Cæsarem. Ità Virtutis facies non tàm pigmentis, & fabulis efficta, quàm effecta exemplis, & rebus gestis, viua penè, ac spirans Cæsari plaudebat. Eminebat vacuum sub maximis fornicibus: quod, cum Montiæ molis fastigium excederet, occupatum est pensilibus Elogijs in omnes simul symbolicas Tempestates: prçterquàm supra Aram maximam, ne Theatri facies turbaretur. Sed & frons Templi postica, quæ Aram ipsam è regione respicit, locum fecit auspicijs Summi Pontificatus, quæ post exactas quatuor summas Dignitates opportunè consequebantur.

Nos verò, vt vsuueniant, vota quoq; & preces
nùnc addimus, non herclè ancipites de
exitu, sed de celeritate soliciti.
Atq; hæc est Theatri totius
Apographe.

Templi verò anticam frontem ornabat in
superliminari portç maximç stemma
Montium, Cardinalitio pileo
Patriarchali Cruce insi-
gnitum, cum sub-
iecto Inuita-
mento
ad
Cæsarem.

TIBI
CÆSAR MONTIE
CARD. ET PRÆSVL
DIVI ALEXANDRI
THEBÆÆ LEGIONIS SIGNIFERI
PATESCIT TEMPLVM.
INGREDERE.
EMINENTISSIMO MONTI
ASSVRGIT AVGVSTA MOLES:
MAGNO CÆSARI
MAGNVS OCCVRRIT ALEXANDER:
SIGNIFER IMPERATORI
PATRONVS PATRI
DIVVS ANTISTITI:
SED ET CLERICI REGVLARES
ALVMNI APOSTOLI PAVLI
COAPOSTOLI PETRI SVCCESSOREM
CONSALVTANT, OMINANTVR
GRATVLANTVR.

Valuis

Valuis introrſum adhuc rudibus antepagmentum fecêre bina Epigrammata. Alterum ad Clericos Regul. S. Pauli, qui Cæſarem ſubeuntem, effuſi hinc inde in ordines exceperunt. Erat autem huiuſmodi.

Paulina ò ſoboles, niueis tege tempora vittis:
Vernent fronte rubris lilia mixta roſis.
Sacratum croceus diſtinguat limen achantus,
Grataq; per Zephyros naribus aura fluat.
Vndiq; Mæonio plectro circunſonet ædes;
Iungantur choreis carmina: Montus adeſt.
Montus adeſt? radiant blandam quæ lumina frontem?
In Terris (demum credite) Apollo ſtetit.

Alterum verò Epigramma ad Templum ipſum Teſtudine maxima defectum, cum enumeratione quatuor Dignitatum in Cæſare Montio, & auſpicio Summi Pontificatus, ſic habebat.


Quantus, io, ſacrata terit penetralia Princeps?
Quantus ab ambroſio fulgurat ore nitor?
Hic ſummo ad ſūmos LEGATVR Præſule Reges:
Hunc PATREM plaudens Antiochia colit:
Huius ab auguſtis clareſcit PVRPVRA geſtis:
INSVBRICA & redimit ſūma TIARA caput.
Suſtulit iſte iugum citò; MONS; tacturus olympum,
Heus, Templum, quid agis? tu quoq; tolle caput.

Ingreſſo Cæſari circunſtetêre frequenti coronâ Patres Alexandrini, animorum communem lætitiam viuis in ore ſignis preferentes. Omnium verò vnus interpres, Author Theatri ſic Hoſpitem ſalutauit.

Iucun-

Vcundusnè magis, an inopinatus ſit nobis aduentus tuus, Princeps Eminentiſsime, quis facilè in præſens dijudicauerit? Sanè inter ſe bellè ſic certant & communis lætitia Ordinis noſtri, & oris iſtius fulgore pleni Maieſtas, vt nec beatius illa quidquam, nec anguſtius iſta offerri poſſe videatur. Quid enim ad exemplum rarius, ad ſpectaculum admirabilius, quàm tantum Principem, minima Congregationis Ædem tanta cum facilitate ſubire? Inter Eminentiſsimos Patres MONTEM editiſsimum: Inter columina Chriſtiani Imperij ipſum CÆSAREM: (Maius quidpiam dico) Recurrere ſæculum vetus Thaumaturgi Patris: vt, non dicam ad preces noſtras, ſed ad nutus, Mons iſte non modò è ſede promptiſsimus moueatur, ſed & ſua vaſtitatem molis intra domicilij huius anguſtias contractam inuehat? Tametſi eò patentiorem campum in pectoribus ſingulorum reperias, quò ſpatium Ædis anguſtius. Vide, quemadmodum hocce miraculo miraculum aliud prouocetur. En tibi, Cæſar, communicato (vt ità loquar) ab Ioue Imperio, occurrere tributarias quatuor Anni tempeſtates, æternitatem nominis, imperium Orbis ſummum deferentes. Quare cum nulla mortalis hominis oratio exæquare diuinas tuas virtutes poſsit, accipe, quæ Cælum ipſum diſertiſsimis, quanquam mutis vocibus ſplendidè in te, ac luculenter effundit.

Subſequitur ſchema dedicationis Theatri.



ANNVS LÆTA TVÆ PRÆBET SPECTACVLA VITÆ
COMMVNE IMPERIVM CVM IOVE CÆSAR HABES.
CÆSARI
MONTIO
PATRITIO MEDIOLANENSI
PRÆSVLI AC PRINCIPI OPT. EMINENTISS.
ALEXANDRINVM TEMPLVM HONORIS GRATIA
SVBEVNTI
CLERICI REGVLARES S. PAVLI
PRISCA IN ORDINEM MERITA RECOLENTES
NOVOS GRATVLANTES TRIVMPHOS
ORBIS CHRISTIANI DEPRECANTES IMPERIVM
ANNALE THEATRVM EXPLICANT
VT QVI OMNIVM TEMPORVM DECORA
IN SE COLLEGIT
OMNIVM ANNI TEMPORVM
PLAVSVS EXCIPIAT.


CÆSARI
MONTIO
CLERICI REGVLARES S. PAVLI
PRISCA IN ORDINEM MERITA RECOLENTES
IN SE COLLEGIT

Libet hoc loco Elogia tria subtexere Tempestatibus communia prius, quàm ad singulas accedatur.

ELOGIVM I.

ASPICE
QVISQVIS ADES, ET SVSPICE
CÆSARE MONTIO
VENIENTE
CONCORDARE DISCORDES TEMPORVM GENIOS,
NATIVA CONCILIARI ODIA:
MIRANDO FOEDERE
ÆSTVARE HYEMEM, HYEMARE ÆSTATEM
VERNARE AVTVMNVM, FOETIFICARE VER:
EX GELV, AC NIVIBVS
TEPERE CAELVM, RIDERE PRATA, LÆTARI SEGETES:
FLORES FRVCTIBVS, FRVCTVS FLORIBVS
COLLVDERE:
OMNIA VNVM, VNVM OMNIA
ESSE TEMPORA:
VNVM OMNIVM LARGIRI DONA.
ECQVIS NON FÆLICIVS FATEATVR
CÆSARIS, QVAM IOVIS
IMPERIVM?

ELO-

ELOGIVM II.

QVOD
OMNES ANNI ÆTATES
CONSENTIENTES IN VNVM CERNIS
NE MIRERE SPECTATOR.
CÆSAREM MONTIVM
ÆMVLANTVR
IN QVEM HONESTANDVM
OMNIA ÆTATVM ORNAMENTA
CONSPIRANT.
HABES HIC NON ARCHIMEDIS INGENIO
SED CÆLI CLEMENTIA
ELABORATVM ORBIS COMPENDIVM
VIVVM, NON VITREVM
SOLIDVM, NON STOLIDVM
AGILE, NON FRAGILE
AD ORBIS EIVSDEM
SPECTACVLVM,
AD ÆTATIS OMNIS
MIRACVLVM

TE
TIBI OSTENDIMVS
CÆSAR MONTIE
NON HVMANA EXPRESSVM ARTE
AVT FVCO MENTITIS COLORIBVS,
SED SANCTIS NATVRÆ LINEAMENTIS:
COLLECTO
QVIDQVID IPSA LATE IN ANNI TABVLA
AVREO LVCIS PENICILLO
SIVE ADVMBRAT IN VERE
SIVE COLORAT IN ÆSTATE,
SIVE CLARAT IN AVTVMNO
SIVE OBSCVRAT IN HYEME.
ALIA LAVDVM PIGMENTA
FIGMENTA SVNT:
SVIS CÆLITVS NITENT COLORIBVS
MONTES:
QVA LVCE AVRANTVR, QVA TENEBRIS CALIGANT
QVA NIVE CANDICANT, QVA GRAMINE VIRESCVNT.
ALIENA PINGI MANV
NEFAS EST
QVIBVS APELLES SVVS
APOLLO EST.

Succedunt deindè singulæ Tempestates inscriptę disticho ad Virgilianum pariter alludente: Ac primùm Ver Nuntiaturæ typus.

VER


VER VIOLIS RIDENS TIBI NVNTIE SPARGIT AMICTVM
COMMVNE IMPERIVM CVM IOVE, CÆSAR, HABES.
VER
NVNTIATVRÆ
TYPVS



EMBLEMA.

CAdauer Principis viri, vnguentis conditum, ac pigmentis viuæ restitutum imagini, erectoq; situ conclusum in pila vitrea. Huic vti Numini primitias florum, ac frugum filij, nepotesq; offeruut. Solemne id Macrobijs Æthiopiæ populis.



Vitales referens vultus per vitra cadauer
Primitÿs diues gens Macrobæa colit.
Miremurnè tuos pro Petro, MONTE, labores
Primæuo teneris flore virente genis?
Gentilis monumenta tui proponis IVLI:
Vrget te tanti gloria Pontificis.
Hunc sanctè obseruas: huius vestigia calcas
Primitias æui dulcia liba sacrans.

Fit allusio ad Iulium III. Pontif. Max. ex familia Cæsaris Montij, de quo infra in Æstate, seu Patriarchatu, ad Sedem Religionis.

Zephyrus cliuum violis florentem perflans, cum signis vernis Zodiaci.



EPIGRAMMA

DE CÆSARIS MONTII NVNTIATVRA

In Vrbe Neapoli Ordinaria, & in Hispanijs Extraord. & Ord. cum auspicio Purpuræ Romanæ.

Vidimus hoc nostro veteris miracula secli:
Aurea Gregory reddita lustra Patris.
Vidimus insanæ molis decurrere MONTEM:
Quà Mare, quà Terras visere pondus ouans.
I, MONS fauste: suo Regi tibi nanquè tributum
Mox Vaticanus collis ab Vrbe dabit.

ALIVD

Dissita Terrarum sacro cum fasce petentem
Te sibi deposcunt Oppida, quodq; sibi.
Falix certamen, felicior inde Triumphus:
Toti cùm præeris, totius Orbis eris.

SYM-

SYMBOLVM.

APes ex rosario ad aluearium, delibato succo aduolantes: sub signis vernis Zodiaci; vt mellificium vernum exprimatur.



DE NVNTIATVRA APOSTOLICA CÆSARIS MONTII
PARAGRAMMA.

MONTIVS NVNTIVS.

Montius vt summi referat responsa Parentis,
Litera Muta sile; tinni iucuNda: patesce.
Tu quoq; cOnclVdens orbis pulcherrima queq;.
MONTIVS accitus, præsto sic NVNTIVS adsit,
Seriùs & ludens, omen de nomine ducat.

DE EADEM
EPIGRAMMA
CVM AVSPICIO AD EVNDEM.

Desere surgentes septeno vertice colles,
Vastaq; terrarum perlege, Monte, sola.
Altior externos translata adolescit in agros
Arbor: sic tolles culmen in æthra tuum.

SYMBOLVM.

Vides progemmidans, idq; sub signis vernis Zodiaci, vt ab infana distinguatur; in quam aliàs florentem non quadrat lemma.



NVNTIATVRA
PATRIARCHATVM, PVRPVRAM ROM., ET ARCHIEPISCOPATVM MED.
CÆSARI MONTIO CONCILIAT

EPIGRAMMA.

Aurea terrigenis reuocans Ver sæcula fessis.
Hybl.eo rigidam flore colorat humum.
Ver tibi splendidius, fortunatissime CÆSAR,
Illuxit, flores fructibus accumulans.
Sic Patriam repetens, ornatus ritè triumphas
Floribus vt serto, fructibus vt spolijs.

DE NVNTIATVRA CÆSARIS MONTII,
ET MARCI ANT. FRATRIS OBITV
CVM AVSPICIO SVMMI PONTIFICATVS AD CÆSAREM
DISTICHON.

Cæsar ab Vrbe migrat, Marcusq; (heu) migrat ab Orbe:
Iste polo vt regnet, regnet vt ille solo.

DE

DE

CÆSARE MONTIO

IN HISPANIIS PVBLICÆ PACIS GRATIA NVNTIO APOST.

EPIGRAMMA.

Castalides mutate fides, mutate choreas:
Præcipe nunc alios, mitis Apollo, modos.
Montibus an credam posthac bellasse Gigantes?
En Mons procerus Martia tela fugat.

CÆSARI MONTIO

PATRIARCHÆ, ARCHIEPISCOPO, CARDINALI

EX NVNTIATVRA TRIPLICI

AVSPICIVM.

EPIGR.

Historiam trina variauit fronte Vetustas,
Trinum quòd tempus Nuntia fida refert.
Quid; quòd nuper onus trinum tu, Monte, tulisti?
Nuntius annè huius trinus honoris erat?
Perge omen: trinam iam frontem perfice. Trinum
Trinus honos, REGNI quid nisi spondet onus?

DE
NVNTIATVRA SPECIATIM
SEV
CAMPI DISTRIBVTIO

ELOGIVM.

APOSTOLICÆ NVNTIATVRÆ
VERVM EXHIBES IN VERE
TYPVM

CÆSAR MONTIE.

LEGISTI
GENTILITIIS IN HORTIS
IMMORTALES GLORIÆ
FLORES
ELOQVENTIAM, PACIS STVDIVM
FIDELITATEM, CONSILIVM:
QVIBVS
INTEXTVM TIBI DIADEMA
AD PRODIGIVM ORBI PRODERES
AD OSTENTVM OSTENDERES

ELO-

ELOQVENTIA.

DICENDI FACVLTAS IMPROBIS, ET FLAGITIOSIS VIRIS STIMVLVS EST VITII: PROBIS, ET HONESTIS, VIRTVTIS INSTRVMENTVM AC SVBSIDIVM EFFICITVR. *S.Gregor.Naz.*



LEONI REGNVM IN BESTIAS DAT ROBVR ANIMI, ET CORPORIS: AQVILÆ IN AVES, VOLATVS SVBLIMIS, ET VELOX: HOMINI AVTEM SVPER TERRAM IMPERIVM DAT ORATIO. *Basil. Imp.*

ELO-

ELOGIVM.



ASSVRGE ELOQVENTIA
HIERONYMVS MONTIVS
ADEST.
QVI TE SVBLATAM TERRIS
SVO VERTICE SIDERIBVS INSERAT.
HIC MENTEM SORTITVS:
CELSITVDINI GENTILITII NOMINIS PAREM
INDVSTRIÆ PRIMITIAS SACRAVIT ELOQVENTIÆ.
AMOENITATE INGENII FACILE CONCILIAVIT MVSAS
FLORIDIOREM PARNASSO MONTEM CONSPICATAS.
EIVS IN CVLMINE TONARE FVLMINA ORATIONIS,
PER DECLIVE SONARE FLVMINA:
TENERI HIS CONCIONEM, IIS TERRERI.
ELOQVENTIÆ ADIVNCTAS VOLVIT LEGES,
VT SVO STIPATA SATELLITIO PRINCEPS DISCIPLINARVM
INCEDERET.
DISERTISSIMVM DE FINIBVS LIBRVM EDENS
LIBERVM SE REDDIDIT FATO:
FINEM PRÆSCRIBENS ALIIS, PROSCRIBENS SIBI
CONFINEM ÆTERNITATIS MEMORIAM SVI FECIT.
QVID STVPES
DOMESTICO EXCITATVM EXEMPLO
CÆSAREM MONTIVM
IN HISPANIIS TANTVM VALVISSE ELOQVIO
QVANTVM LATINVS CÆSAR FERRO?

SYMBO-

SYMBOLVM.

NIX, flante Fauonio, è satis diffluens, cum lemmate ex Horatio.



AD CÆSAREM MONTIVM NVNTIATVRA FVNGENTEM AVSPICIVM PVRPVRÆ CVM ALLVSIONE AD HIERONYMVM GENTILEM, CIVEM VERONENSEM LIBRI DE FINIBVS AVCTOREM.

EPIGR.

Eloquio inuisum finem mortalibus offert:
Quæ sit curriculi meta, cuique notat.
Æterna Eloquij locus illi est finis honorum;
Æterna laudis sed tibi principium.

AD EVNDEM DE EODEM.

ALIVD.

Postremum cunctis, & ineuitabile rebus
Explorat tempus, quod fera Parca dedit;
Ipse tamen (mirùm) dum ferrea fata tuetur,
Æterno ingenij nomine fata fugit.
Prodigia ista tuæ gentis sunt, inclyte CÆSAR,
Virtute ille fugit fata, sed ipse fugas.

AD VRBEM VERONAM DE HIERONYMO MONTIO CIVE I. C. SCRIPTORE DISERTISSIMO.

EPIGRAMMA.

Ritè simul VEnetos, ROmam, atque NeApolin: vndè
Mole theatrali, colle virente refers.
E tribus VNA viges, tres te copulantur in VNA,
VERAque, nec sola voce, es imago trium.
Clarior ipsa tamen MONTO celebraris alumno,
Non fuit effigies VERiOr, vNa tui.
Delicias Phœbi congestas inspice chartis,
Musarum hic latices cerne, theatra fuga.
Æmulus hic Patriam: Gentilem CÆSAR adæquat:
Inuidia, & Virtus fœdera ritè serunt.

AD EANDEM DE IPSO HIERONYMO, ET CÆSARE GENTILI NVNTIO APOSTOLICO IN HISPANIIS.

ALIVD.

Cùm Monto, VERONA, tuo fruerere diserto,
Lux mundo oris eras, VERAque, & VNA nitens.
At nunc, ore potens cùm splendeat alter Iberis,
Lux VERA eloquij es, non tamen VNA nites.

AD

AD CÆSAREM MONTIVM PROCVRANDÆ PACIS GRATIA NVNTIVM IN HISPANIIS CVM ALLVSIONE AD HIERON. GENTILEM VERONEN. SCRIPTOREM ET AD MONTANOS MAIORES, CONSVLES ROM.

EPIGR.

Te ſibi, quòd fudit terris, Inſubria poſcit:
Verona at gentis fert monumenta tuæ.
Romaque Montanæ repetit primordia ſtirpis:
Nec de te eſt alys quæſtio, MONTE, minor.
Suſtine: &, vt regnis pacem conſciueris almam;
Orbis, non Vrbes, te canet eſſe ſuum.

AD VRBEM VERONAM DE HIERONYMO MONTIO CIVE ANAGRAMMA DVPLEX

VERONA
VERNAT
NAM VER

CVM ALLVSIONE AD FVTVROS HONORES CÆSARIS MONTII

EPIGR.

Quàm bene te colles cingunt, Vrbs fauſta, virentes?
Mons, VERONA, tuo VERNAT apricus agro,
Quàm benè Phœbea lauris redimita triumphas?
NAM VER perpetuum MONS tibi doctus alit.
At noſtro concede iugo, concede virori:
Autumnum hic longum Ver breue nanquè vocat.

PACIS STVDIVM.

PAX AMICA, BONVM AB OMNIBVS LAVDATVM, A PAVCIS CONSERVATVM. EQVIDEM TE SVPRA MORTALES OMNES CVPIO, ET EXOSCVLOR TE, AC PRÆSENTEM COMPLECTOR, ABSENTEMQ. MVLTIS LACHRVMIS REVOCO. *S. Greg. Naz.*



SVSCIPIENDA BELLA SVNT, VT IN PACE SINE INIVRIA VIVATVR. *M. T. Cic.*

ELO-

ELOGIVM.



IOANNES, ET PETRVS
MONTII
DVO BELLONÆ LVMINA
NVMINA MILITIÆ, MARTIS FVLMINA:
DISPARI ÆTATE, VIRTVTE PARI
DIMICANTES
GENTILITII NOMINIS FAMAM AVXERE.
PISANORVM HIC PAVOR, PALLOR ILLE GALLORVM
ALTER FLORENTIAM, NEAPOLIM ALTER
SERVARVNT.
MIRVM, IN ARNI MARGINE RIGERE INTER ROSAS GLADIOS:
INTER PARTHENOPES CANTVS MISCERI CLASSICA.
SED ET MELLIFICANT IN GALEIS APES,
BELLIQVE MESSIS PAX EST.
AMASII PACIS, ICCIRCO PROCI RIXAS HABENT:
ARMA CONSERVNT, VT ASSERANT PACEM.
ILLVD FORTITER, HOC FÆLICITER PERAGENTES
LAVRO, ET OLEA REDIMITI TRIVMPHANT.
NE IGITVR MIRARE
CÆSAREM MONTIVM
NVNTIATVRA INITA, TAM STRENVE PRO PACE DIMICARE,
HABET DOMI DVORVM TROPHÆA MILTIADVM,
QVÆ NEC SE DOMI CONSISTERE,
NEC SOMNVM CAPERE
PATIVNTVR.

SYMBOLVM.

HYdrouolion, seu rostratum organum cum subiectis flammis, ex quo variorum florum succi distillant.



PETRVS MONTIVS IMPERATOR
FLORENTIAM VRBEM ADVERSVS PISANOS TVETVR.
ALLVSIO
AD VRBANVM VIII. PONTIFICEM MAX. FLORENTINVM
QVI CÆSAREM MONTIVM
PRIMVM NVNTIVM, INDE CARDINALEM CREAVIT.

EPIGR.

Vna tibi in forti spes est, Florentia, Petro:
Florere hoc vno, pace, tuente potes.
Instar Apennina surgit tibi MONTIVS *arcis:*
Huius ab aspectu territus hostis abit.
Florè, læta: tuis Violas nunc Montibus offer
Primitias Veris grata, datura Rosas.

IOAN-

IOANNES MONTIVS IMPERATOR NEAPOLI GALLORVM COPIAS FVGAT.

EPIGR.

Cedite, natiuo vallantes culmine colles:
Extera securum dant iuga præsidium.
Cedite vos, colles, callem qui sternitis hosti:
Hostis ab horrifico vertice MONTIS abit.
Non facili (demum Mortales credite) Virtus:
Montis at abrupto, mascula calle sedet.

IN IDEM ALIVD

Gallus adest tristis belli: sed Montius almæ
Pacis, adest ciui Nuntius ancipiti.
Naturæ in nostro sunt hæc miracula MONTE,
Pacem echo, vt resonet: vox vbi bella sonat.

IN IDEM, ALIVD CVM ALLVSIONE AD CÆSAREM GENTILEM NVNTIVM NEAPOLIT.

Quam rigido peperit pacem Ioannes amicam,
Hanc blando CÆSAR nuntiat ore ratam.
Montanas posthac mutas ne dicito rupes:
Gratiùs hac vnquam nemo locutus homo est.

IOANNES MONTIVS IMPERATOR NEAPOLI GALLORVM COPIAS FVGAT.

ALLVSIO AD NVNTIATVRAM NEAPOLITANAM CÆSARIS MONTII.

EPIGR.

Parthenope dulces deduc secura choreas:
En latum reddit collibus aura melos.
Macte: procul Martis metus est: ariſq; strepentis
Conticuit clangor: littora tuta patent.
Monti virtuti hoc debes: in collibus istis
Non olea hæc docta est sponte virere diu.
Ioannes pepigit, coluitq; hanc CÆSAR: ab ipsa
Serta triumphalis qualia pacis habes?

DE EODEM ALIVD.

Gallus habet muros; Ciues, opponite Montem:
Sideribus moles hæc metuenda fuit.
Gallus habet muros: Ciues, ne credite Gallo:
Hostem, non horam subdola cantat Auis.
Sic noctis Gallus, lucis sic MONTIVS esto
Nuntius: hic pacem, bella sed ille canens.

✣✣

FIDELI-

FIDELITAS.

FVNDAMENTVM IVSTITIÆ FIDES: IVSTORVM CORDA MEDITANTVR FIDEM: ET QVI SE IVSTVS ACCVSAT, IVSTITIAM SVPRA FIDEM COLLOCAT. *S. Ambr.*



FIDES SVMMVM RERVM HVMANARVM VINCVLVM: SACRA LAVS FIDEI INTER HOSTES: SACRA, QVOD NVPER COMPERI INTER PIRATAS. *Quint. Senior.*

ELOGIVM.



ARCANORVM FIDELIS CVSTOS
QVIDNI PRÆCONEM EXIGAT PVBLICVM?
HOC PATENTIOR VIRTVTIS DEMONSTRATIO, QVO DIFFICILIVS
SECRETVM HOMINEM VEL EX MVLTIS SECERNERE.
HÆC PRINCIVALLIS MONTII PROAVI
PRINCIPALIS LAVS EST,
VT QVI
IN OCCVLENDIS ARCANIS PRINCIPVM, VALLIS ERAT,
FIERET HOC IPSO MONS ORBI CONSPICVVS.
FRANCISCO II. MEDIOL. DVCI A SECRETIS MVNERE:
KAROLO V. CÆSARI OPERA, OPIBVS PRÆSTO FVIT:
RES ILLIVS FIDELISSIME SERVANS, IN HVNC SVAS EFFVNDENS:
NEC DEFVIT VTRINQVE CONGIARIVM.
TAMETSI PRETIVM SIBI VIRTVS EST,
NEC VNQVAM PRETIOSIOR,
QVAM CVM PRÆCONIO FAMÆ DIVENDITVR.
TESTATVS EST
FRANCISCVS LEGATIONE COMMISSA AD REGEM GALLORVM,
AD FLORENTINAM REMP., AD HELVETIOS:
KAROLVS INSIGNI ENCOMIO PRINCIVALLEM MONTIVM
SACRI IMPERII FIDELEM, DILECTVM, EGREGIVM PRÆDICANS.
QVI LEGIS, COLLIGIS
QVALIS SIT IN CÆSARE NEPOTE FIDELITAS,
QVÆ TALE PRÆIVDICIVM FECIT
IN PROAVO.

SYM-

SYMBOLVM.

Tellus fœliciter germinans,



PRINCIVALLIS MONTIVS
CÆSARIS PROAVVS

EX ILLVSTRIBVS DECVRIONIBVS CIVIT. MEDIOL.
DE IMPERIO, CVI FORTVNAS VOVERAT, BENEMERITVS

A KAROLO V. CÆSARE

SACRI IMPERII FIDELIS, DILECTVS, ET EGREGIVS VOCATVR.

EPIGR.

Viderat integrum generoso in pectore sensum,
Et cornu effusas vbere Cæsar opes.
En (ait admirans) castæ pietatis imago
MONTIVS; & sacrum fidus in Imperium.
Cæsare laus magna est, dignum præcone fuisse:
CÆSARE sed dignum, quanta, nepote, fuit!

DE

DE PRINCIVALLE MONTIO
A SECRETIS REGIIS
CVM ALLVSIONE AD CÆSAREM PRONEPOTEM IN REGNIS NEAPOLITANO, ET HISPANICO NVNTIVM.
EPIGRAMMA.

Præsulis vt summi facias mandata, pererras
Ardua quæque soli, naufraga quæque sali.
Scilicet à Proauo clara hac exempla tulisti,
In te vt, clare nepos, viuat imago Patrum.
Arcana is Regni seruauit, opesque superbas
Deuouit: vitam largior ipse sacras.
Ingenui hoc ciuis decus est, vt Principis arctus
Rem seruet, largus prodigat ipse suam.

PRINCIVALLIS
OB EXIMIA IN IMPERIVM MERITA E NILO MARTHESANÆ AQVIS DONATVR
HEXAST.

Aurea quòd largo prodegit fonte fluenta,
Cæsareis rediens Montius auctus aquis:
Ista mihi (dixit) vena est preciosior auro:
Prædicat ista fidem murmure iuge meam.

DE EODEM ALIVD.

Murmurat irriguis argentea fluctibus vnda,
Promeritisq; canit murmure læta tuis.
Scilicet est sermo manans ex ore fluentum:
Ipsaq; dant vocem muta fluenta suam.
Vnda igitur fluat, & meriti canat æmula grates,
Et merito iugi iugiter vnda fluat.

PRIN-

PRINCIVALLEM MONTIVM
KAROLVS V. CÆSAR AQVIS NILI MARTHESANÆ:
FRANCISCVS II. DVX MEDIOL.
PARTE VECTIGALIS VINARII
DONANT.
AVSPICIVM AD CÆSAREM NEPOTEM.

EPIGR.

De Duce promeritus, de Cæsare, præmia Montus
Hinc lymphas, illinc Bacchica dona refert.
Argentum siquidem Montus profudit, & aurum:
Quid ni par dono currat vtrinque liquor?
At tu pro sacris desudans Clauibus, Heros,
Quæ, præter, Claues, præmia digna feres?

✠✠✠

IN EVNDEM ANAGRAMMA
PRINCIVALLIS
PRINCIPIS LAVS.

Siue Ducis studeas rebus, seu Cæsaris: ampla
Vtrumque emeritus, munera vtrinque paras.
Scilicet hæc summi demum LAVS summa putatur
PRINCIPIS, vt fidis floreat Aula Viris.

CONSILIVM.

IVVENES DICI SOLENT, QVI NVLLA CONSILII GRAVITATE DEPRIMVNTVR: SENES VERO, NON QVI SOLA TEMPORVM QVANTITATE, SED QVI MORVM GRAVITATE MATVRI SVNT. *S. Gregor. mor.*



NON VIRIBVS, NON VELOCITATIBVS, AVT CELERITATE CORPORVM, RES MAGNÆ GERVNTVR: SED CONSILIO, ANTIQVORVM, ET SCIENTIA. *M. Tit. Cic.*

ELO-



PRÆMATVRVM
CÆSARIS MONTII
IN NVNTIATVRA CONSILIVM
TESTATVS EST GREGORIVS XV. PONT. MAX.
ALTERAM CONSVLTORIS PROVINCIAM IN VRBE
RARO HACTENVS EXEMPLO COMMITTENS.
NESCIVIT GREGORIVS TARDITATEM,
QVI VITAM FESTINAVIT SVAM CHRISTIANÆ REIP. PRECIOSAM.
VIDIT NATVRÆ PRODIGIVM IN CÆSARE,
ANNOSAM IN IVVENTVTE MENTEM,
SENILEM IN ADOLESCENTIA PRVDENTIAM:
IN PVBERTATE CANITIEM, IN ACERBITATE MATVRITATEM.
VIDELICET IN MONTIBVS EDITVS, PVER GIGAS APPARVIT.
MONTIS PROPAGO, IVGVM MENTIS, NATIVIS CANVM NIVIBVS
STATIM OBTVLIT.
LANDRIANA MATRE, ANDRIANA MELIVS,
HOC EST VIRAGINE ORTVS
LEVITATEM NESCIVIT INFANTIÆ.
CÆSAR NATVS, NON FACTVS, ROMAM ADIVIT SVAM
RECTVRVS CONSILIO PRIVS, QVAM IMPERIO.
ROMANOS CONSVLES MAIORES NACTVS,
CONSILIO MINOR ESSE NON POTVIT,
QVI GLORIAM ANTIQVITATIS RECENTI IN ÆTATE PRÆRIPVIT.
DENIQ. CÆSAR FVIT
NON TAM DOMITOR ORBIS, QVAM
TEMPORIS.

Morus arbor frondes simul, ac fructus proferens.



MATVRITATEM CONSILII
CÆSARI MONTIO
EX AVITIS CONSVLIBVS GREGORIVS XV.
OMINATVR.

EPIGR.

Consilium quis, Monte, tuum vocitabit acerbum,
Sit licet à primo picta virore gena?
Si genus à prisca repetatur origine, multo
Consule MONTANO Troica Roma tumet.
Quidni tam cano mens maturescat ab auo?
Anne potis tantus degener esse nepos?

CÆSAR MONTIVS

A PAVLO V. A CONSILIIS ECCLESIASTICÆ DITIONIS:
A GREGORIO XV. SANCTI OFFICII IN VRBE:
AB VRBANO VIII. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE CREATVR.

ALLVSIO AD NVNTIATVRAM CVM AVSPICIO

EPIGR.

Paulus, dat Gregorius graue munus in Aula
Vrbanus fasces fascibus accumulat.
Hæc tria Consilium infundunt tibi sidera, vt vni
Ritè adsis Regno, mox tria REGNA geras.

MATVRITAS CONSILII CÆSARI MONTIO CHRISTIANI ORBIS MATVRAT IMPERIVM

DISTICHON.

Summos tàm iuuenis cur, Monte, capessis honores?
Temporis an domitor, Cæsar, vt Orbis, ades?

TVMVLVS GREGORII XV. LVDOVISII PONT. MAX. QVI CÆSAREM MONTIVM CONSVLTOREM CREAVIT CVM LVSV IN NOMINE GENTILI PONTIFICIS

EPIGR.

Ille ego Gregorij quino ter nomine clarus
Sum, breuis heu gentis sorsq; decusq; mea.
Fecerat antè omen mihi dirum è nomine Parca,
Visa sit vt LVDI VISIO vita fugax.
Nam me, quòd tulerim Montum iuuenilibus annis
Canum mente, videns: fata obijsse rata est.

IN CÆSARE MONTIO

CVM ALLVSIONE AD IVLIVM CÆSAREM IMPERATOREM.

EPIGRAMMA.

Nauita, cum pelagi trepidus pallesceret æstu,
(Macte o: fortunam Cæsaris ecce vehis)
Cæsar ait. Te Consilijs per splendida ferri,
Esse quid hoc dicam, Cæsar, ad Imperium?
An tu fortunam dicèris ferre caducam,
Vna cui Virtus vecta, superna petit?
Ipsa an Consilijs te Fortuna improba ferre,
Fortuna obducto lumine cæca, potest?
Tam velox non illa tamen foret, ipseq; fælix?
Illam ni vehères, & veherere simul.

DE EODEM ALIVD.

Quis tua non stupeat celeri vestigia gressu
Tendere supremi culmen ad Imperij?
Fælix ò genius: sensum præmonstrat in annis
Robustum teneris: ante virumq; virum.
Fælix ò genius, prægnans quo frugibus æstas
Lucet in Hyblæis Vere comante rosis.
Fælix ò genius, quo festinata iuuentam
Flauicomam cursu cana senecta præit.
In iuuene ecce senex: æuo maturus acerbo.
Sanus Consilijs, is benè canus erit.


FERT PATRIARCHALES ÆSTAS CVM FRVGE LABORES
COMMVNE IMPERIVM CVM IOVE, CÆSAR, HABES.
ÆSTAS
PATRIARCHATVS
TVPVS
Blancus f.

EMBLEMA.

Horti voluptarij.



Hic virides cunei miniato flore nitescunt;
  Hic gelida in medijs Solibus vmbra cadit;
Hic longo laqueata patet gestatio calle:
  Hic varijs ludit ductilis vnda modis:
Hic purum replet modulis captiua volucris:
  Hic Pomona suas prodere certat opes:
Hac licet astiuos moderari sede calores:
  Non strepit hic rabido Sirius ore minax.
Sic qua curarum te pondera, NVNTIE, vexant:
  En PATRIARCHALIS lenit adeptus honor.

SEgetes maturitati proximæ, vrgente Sole ſub æſtiuis Zodiaci ſignis.



CÆSAR MONTIVS

DVPLICI NVNTIATVRA PERFVNGENS IN HISPANIA CREATVR PATRIARCHA ANTIOCHENVS, CVM ALLVSIONE AD FVTVRAM PVRPVRAM, AD ARCHIEPISCOPATVM, ET AVSPICIO SVMMI PONTIFICATVS.

DISTICHON.

Munera bina gerens, bina Cruce, Monte, coruſcas:
Cùm poſt trina geres, quæ, niſi trina manet?

SOL Leonem Zodiaci lustrans, cum delabente subtus fonticulo è Montis caute.



DE

PATRIARCHATV ANTIOCHENSI

CÆSARIS MONTII

CVM AVSPICIO SVMMI PONTIFICATVS

EX NOMINE DIGNITATIS.

HEXASTICHON.

Quàm decuit, sanctum PATRIS te sumere nomen,
Quem nulla Imperij, Monte, cupido ferit?
Imperij te nec vlla ferit vesana cupido,
Cui nimis est, blandum nomen habere PATRIS?
Perge: basis summa ista est summa modestia molis:
Ex PATRE iam PETRA es: mox PETRA PETRVS eris.

SYM-

SYMBOLVM.

SOL Leonem lustrans.



AD CÆSAREM MONTIVM INEVNTE IVVENTVTE PATRIARCHAM ANTIOCHENVM AVSPICIVM SVMMI PONTIF.

HEXASTICHON.

Fortunate nimis, Cæsar, ridentibus astris
Edite: nulla cui voluitur atra dies.
Aspice, quàm stabili nitatur cardine fatum;
Dat iuueni fasces Antiochia PETRI. (*sces:*
Macte: Vrbs Roma PETRI sūmos dabit æmula fa-
CÆSAR, fata volunt, sis IN VTROQVE PETRVS.

DE

DE PATRIARCHATV SPECIATIM
SEV CAMPI DISTRIBVTIO

ELOGIVM.

GEMINORVM
SIDVS
HONORES TIBI CÆLITVS
GEMINAT
CÆSAR MONTIE:
NVNTIATVRÆ PATRIARCHATVM
ADSCISCIT:
ÆSTATE VERI
SVBEVNTE, DICAM, AN CONCVRRENTE?
COÆVOS FLORIBVS
HABES FRVCTVS
EGREGIÆ RESPONDENTES STIRPI
RELIGIONEM, DEVOTIONEM
IVSTITIAM, INNOCENTIAM.
TAM SERENO SOLI
NVNTIATVRÆ
QVIDNI PATRIARCHALIS ÆSTVS
SVCCEDAT?

RELIGIO.

VERVS CVLTVS EST, IN QVO MENS COLENTIS, SE IPSAM DEO IMMACVLATAM VICTIMAM SISTIT. *Lact. Firm.*



PVBLICA RELIGIONE CONSECRATA VIRTVS, NVLLA PRIVATA LAVDATIONE INDIGET. *Val. Max.*



MANIBVS DATE LILIA PLENIS
PVRPVREIS INSPERSA ROSIS.
HIC ILLE EST
IOANNES MARIA MONTIVS ROMANVS
SVÆ PATRIÆ COLVMEN, SVÆ CVLMEN FAMILIÆ, SVI ÆVI LVMEN.
RELIGIONIS FLAGRANS SITI, IVRIS, AC ELOQVENTIÆ HAVSIT FONTES.
GLORIAM VTRAMQ. ÆMVLATVS, CITRA ÆMVLVM FLORVIT.
VRBEM GVBERNATOR REXIT, RECTVRVS CVM ORBE PONTIFEX.
SIPONTINA INFVLA, ROMANA PVRPVRA, MVLTIPLEX LEGATIO
SVPPOSVERE AD APICEM GRADVS.
TAM SECVNDIS INITIATVS AVSPICIIS
IVLIVS III. CONCLAMATVR.
HIC IVBAR, HIC FVLGOR.
MISSIS LEGATIS, ACCOLAS TIGRIDIS FLVMINIS
PVRIORIBVS FIDEI SCATEBRIS
IRRIGAVIT,
ANGLIAM NOVA HÆRESI EXPOLIAVIT,
ANTIQVA RELIGIONE EXPOLIVIT,
ANGLICANÆ ECCLESIÆ OBTRVNCATO NEFARIO CAPITE.
PONTIFEX INDE OPTIMVS, MAXIMVS:
MAIOR TAMEN ALIQVANDO, ET MELIOR,
QVVM ASSVMPTA A C. Æ. S. A. R. E. GENTILI PERSONA
IVLIVS CÆSAR
ORBI REDDITVS
IMPERABIT.

SYM-

SYMBOLVM.

TEmplum in agro ſurgens cum manipulis ſegetum pro valuis.



AD
IVLIVM III. MONTIVM PONT. MAX.
QVI ANGLIAM AB HÆRESI PVRGAVIT
ACCOLAS TIGRIDIS FL. IN CHRISTIANA RELIGIONE CONFIRMAVIT.
CVM AVSPICIO SVMMI PONTIFICATVS
AD CÆSAREM GENTILEM.

EPIGR.

Quàm largam vaſtis meſſem tua legit in oris
Relligio? ſteriles quot grauidauit agros?
Æſtatem per te Menſis fert Iulius almam
Diues, & officijs, & pietate calens.
Suſtine, io: Auguſtus ſequitur generoſa propago:
Iuli, hic Auguſtus quis, niſi Cæſar, erit?

DE

DE IVLIO III. MONTIO
PONTIF. MAX.
CVM AVSPICIO AD CÆSAREM GENTILEM
EPIGRAMMA.

Iulius ecce prait gentis fax lucida MONTÆ:
In Petri solium iura daturus abit.
Ecce prait, reseratq; sibi, reseratq; nepoti
Obstructum, gemina claue decorus, iter.
Iulius ecce prait: sequere ò vestigia Cæsar:
Iulius, & Cæsar quàm benè iuncta sonant?

DE EODEM ALIVD
CVM ALLVSIONE AD ROMAM IVLII III. PATRIAM
ET AVSPICIO AD CÆSAREM PATRIARCHAM.

Quis te Parrhasius finxit? tu Iulius alter
Lux gentis, Cæsar, crederis, alme nepos.
Ille Pater Patrum, Romæ natusq; parensq;:
Tu Patriarchali puber honore nites.
Macte: ita fata volunt, coeant vt dissita sæcla;
Iulius, & Cæsar vox sonet vna Patrem.

ALIVD

Iulius insigni Cæsar cognomine clarus
Ipse tuus quondam, Roma, triumphus erat.
Nostra quid inuideant sæclis collata vetustis:
Quid cedat Latiæ Roma sacrata locum?
Iulius en alter rerum moderamina cepit.
Iuli, vbi Cæsar erit? mox erit ipse nepos.

IVLII III. MONTII PONTIF. MAX. IN CÆSAREM NEPOTEM TRANSMISSA

EPIGRAMMA.

Quàm scitè ora refers, Cæsar, gentilis Iull?
Acta, animos, mores quàm benè cuncta refers?
Hic si Pytagoras adsit reuocatus ab Orco,
In tua Iull animam membra migrasse putet.
In te Roma suum iam viuum credit Iulum:
Seu vice te Iull viuere læta canit.

DE RELIGIONE CÆSARIS MONTII I. C. E COLLEGIO PATRITII MEDIOL. ILLVSTRISS.

HEXASTICHON.

Ipse quòd heroum genus alto à vertice ducam:
Splendida quòd dederit nomina multa pater:
Fecerit ingenij clarum me laurus honore,
Laurus Apollineis grata corona genis:
Summa mihi hinc laudis ne fingite nomina, Ciues:
Relligio, MONTIS me locat vna iugo.

DEVOTIO.

HÆC EST VERA DEVOTIO, QVÆ NATVRÆ VSVM, ET SEXVS INFIRMITATEM, MENTIS DEVOTIONE TRANSGREDITVR. *S. August.*



MORTEM PRÆCLARAM ESSE FATEOR, ET ME DEVOVERE, AC VEL IN MEDIOS ME MITTERE HOSTES PARATVS SVM. *Apud Liuium.*



PETRVS MONTIVS
MAGNVS MELITENSIVM MAGISTER:
MAGNVS APOSTOLI PETRI DVX, DEVOTIONIS MAGISTER:
ÆQVE INFENSVS SCYTHÆ, AC SCYTHA PETRO:
EIVS NON TELA FORMIDANS, QVIA PETRA:
NON FVLMINA, QVIA MONS;
ELIDENS IACTVM, ELVDENS ICTVM
NOBILIS AMBORVM TRIVMPHATOR.
DICERES ABSOLVTAM APOSTOLI IMAGINEM PETRVM MONTIVM,
NISI, QVAM ILLE AD HVMEROS, HIC AD PECTVS GESTARET CRVCEM.
SED QVAM BELLE AD PECTVS,
QVI PRO IPSA PECTVS CONTIS OBIECIT,
IDEM VT ESSET ARMORVM GENVS, ET CAVSSA?
VTRIVSQVE CLARA VICTORIA:
ALTER LICET IMPIORVM BELLA FERENS, ALTER INFERENS:
ILLE LIGNO, HIC FERRO AD CÆLESTE CAPITOLIVM ITER PANDERIT.
DENIQ. PETRAM CHRISTIANÆ MOLI SVBIECIT PETRVS,
MONTIVS MONTEM SVPPOSVIT,
CAPVT PRO CHRISTO VOVENS, PRO PETRI FIDE PACISCENS.
DVRIVS FERRET ORBIS CHRISTIANVS EREPTVM SIBI
PETRVM MONTIVM,
NISI IN CÆSARE GENTILI
RESTITVENDVM IN VRBE
CERTO SCIRET.

SYM-

SYMBOLVM.

LOtos herba, de medio emorgens flumine, ſolemq; reſpiciens, eius curſum capite vel in aquis merſo comitatur. Hæc frequens in Nilo flumine.



D. B.

PETRO MONTIO

MAGNO MAGISTRO ORDINIS HIEROSOLYMITANI
CVM AVSPICIO SVMMI PONTIFICATVS
AD CÆSAREM NEPOTEM
ATQ. ALLVSIONE AD D. PETRVM APOSTOLVM,
ET IVLIVM CÆSAREM IMPER.

EPIGRAMMA.

Montana ſobolis, flos ò lectiſsime Petre,
Petre ò auguſtum nomen in Vrbe Patris.
Pro Chriſto ille caput vouit, caput Orbis in Vrbe:
Pectus at infidis obijcis ipſe Scythis.
Ritè Petri nomen ſacras tu nomine: Cæſar
Sacrabitque tuum lectus in Vrbe Petrus.

DE
D. PETRO APOST., C. CÆSARE IMPER.
PETRO, ET CÆSARE MONTIIS
CVM AVSPICIO PONTIFICATVS AD CÆSAREM MONT.
EPIGRAMMA.

Appellens, almum Petrus iubar extulit, Vrbi:
Cæsar cùm Latijs iura suprema daret.
Quid tu, Cæsar, ages? pulcher tuus occidit, heu, sol
Petrus præsidium, Christiadumq; decus.
Neu mære: Per te fiet rediuiuus in Vrbe:
Cæsaris & posito nomine Petrus eris.

DEVOTIO
PETRI MONTII MAGISTRI MELITENSIS
CVM ALLVSIONE
AD D. PETRVM APOST. ET C. CÆSAREM IMP.
ATQ. AVSPICIO PONT. AD CÆSAREM MONTIVM
PATRIARCHAM.
EPIGR.

E valida Petrum Siculi dum vorticis Arce
Pugnantem Christi bella cruenta vident,
Vaticana sacrum linquentia Numina collem
Accurrunt: Petrum ventur adesse suum.
Sed reducem, Cæsar, cùm te redeuntia cernent,
Hic Petrus est, dicent, illeq; Cæsar erat.

CÆSAR MONTIVS
ROMÆ NVNTIVS, ET PATRIARCHA RENVNTIATVS
CVM AVSPICIO SVMMI PONTIF.
TETRASTICHON.

Cæsar adest, cæsis non regnaturus in Vrbe
Ciuibus. Hic proprium vouit in Vrbe caput.
Imperium vetus haud metuas: eris altera ROMA:
Rex erit inuerso nomine solus AMOR.

DEVO-

DEVOTIO

PETRI MONTII MAGNI MAGISTRI MELITENSIS

EPIGR.

Hactenus heroum nullus mage dignus in Arce
Explicuit Solymæ candida signa Crucis.
Quem Mahometigenæ cieat dehinc ira minacis,
Infidi aut moueant agmina torua Scythæ?
Fulgurat immani surgens Crux vertice MONTIS:
Clarius an signum, tutior Arxuè fuit?

DE CRVCE PATRIARCHALI

CÆSARIS MONTII NVNTIATVRA FVNGENTIS CVM ALLVSIONE AD PETRVM MONTIVM MAGNVM MAGISTRVM HIEROSOLYMITANVM ET AVSPICIO SVMMI PONTIF.

EPIGR.

Hac Cruce iurè nites, Christi dum iura capessens
Curarum ingenti pondere pronus abis.
Quàm benè Maiorum relegis vestigia Cæsar:
Gentilisq. Petri quàm benè carpis iter?
Non erit ista tamen contenta hoc munere Virtus:
Crux, quã PATRIS habẽs fiet adaucta PETRI.

IVSTITIA.

IVSTITIA NON NOVIT PATREM, NON NOVIT MATREM: VERITATEM NOVIT, PERSONAM NON ACCIPIT, DEVM IMITATVR. *Cassiod.*



TVTISSIMA GENERIS LAVS EST, VIRVM LAVDARE, QVI IVSTVS FVERIT ET MORIBVS OPTIMIS, AC EVNDEM VOCARE NOBILEM. *Astydamus Trag.*

ELO-

ELOGIVM.



SALVE
HEROS TER FÆLIX
LABENTIS GLORIA SÆCVLI
SVPERIORVM INVIDIA
POSTERORVM ADMIRATIO.
TV PER OMNES MAGISTRATVVM HONORES IN INSVBRIA DEVECTVS
PERFECTAM ORBI IVSTITIÆ IMAGINEM
INIQVISSIMIS TEMPORIBVS OBTVLISTI:
EXTORREM RESTITVISTI TERRIS: CÆLO RECEPTAM RECEPISTI
EIVS VESTIGIIS MONTEM SVPPONENS TVVM.
AVREVM INTER SECVRES FERREAS PEPERISTI SÆCVLVM,
EXEMPLOQVE DOCVISTI TVO
QVÆSTVRAM REGIAM SINE QVÆSTVRA GERENDAM.
SENATORIA INSIGNIA PRIVS MVLTO, QVAM ACCIPERES, MERVISTI,
VT IVRE, NON PRECARIO
INCORRVPTVS IVRIS VINDEX CAPESSERES.
SED, HEV, CEDENDVM FATO PVTAS, NE CÆLI IVRA VIOLES,
DEBITAM ILLI PARTEM, CÆLESTEM GENIVM, NEGANS.
TV VERO NE MOERE PATRIA:
OCCIDIT IN PRINCIVALLE IVSTITIA, SED RESVRGIT IN CÆSARE;
IN PARENTE PERIIT:
IN NATO NASCITVR.

SYM.

MEssi multiplici falx admota.



DE IVSTITIA
PRINCIVALLIS MONTII
ANAGRAMMA
MONTIVS TV MINOS.

Te duce quàm fælix floret pax publica, Monte?
Iudice crimen abit, vindice iura vigent.
Ergonè obis, viuo viuit quo gloria Iuris?
Ah scio, TV MINOS iura daturus abis.

PRINCIVALLIS MONTIVS
PLVRIBVS PERFVNCTVS MAGISTRATIBVS DIEM OBIT
CÆSARE FILIO SACROS FASCES CAPESSENTE.
DISTICHON.

Æthre Pater, Natus terris dat iura: Quid? Orbis
Diuisum imperium cum Patre Natus habet.

DE

DE IVSTITIA PRINCIVALLIS MONTII. EPIGR.

Fascibus insertas grauibus dùm cerno secures
MONTE, tuas; cerno truxq; supercilium:
En vt iura colit Ciuis, legesq; tuetur,
Sanctaq; syncera fœdera pacis amat.
An non miretur, redeat si prisca Vetustas,
Aurea quod ferro sæcla vocare scias?

DE EADEM ALIVD.

Quàm varios prendis fasces, prendisq; secures,
Implere vt Iuris munia cuncta queas.
Non ità multiplices mentiri Prothea vultus
Pomonæ quondam sedulus egit amor.
Frustra sed Iuris varias tu, MONTE, figuras,
Quo non viuidior Iuris imago datur.

IN PRINCIVALLIS OBITVM EPITHALAMIVM THRENODICVM. EPIGR.

Montus obit: miseros (heu) quæ fortuna manebit?
Cum Monto Patriæ ius obit omne suæ.
Cur obit, & patriam viduans cur pergit ad astra?
Astrææ ah sponsus consociandus abit.

DE EODEM ALIVD CVM ALLVSIONE AD CÆSAREM FILIVM.

MONTE fugis, figisq; tuas super æthera sedes,
Orbum nec pignus deseruisse dolet.
Cur non primæui sortem meminisse Hymenæi,
Vt quæras alios fessus amare toros?
Astrææ nubens, Nato ius forsan adauges:
Prodiga quò fiat matre nouerca magis.

INNOCENTIA.

COGNOSCAMVS SANCTOS NON NATVRÆ PRÆSTANTIORIS FVISSE, SED OBSERVANTIÆ MAIORIS. *S. Ambr.*



BREVE TEMPVS BENE ET INNOCENTER ACTVM, PECCANTI IMMORTALITATI ANTEPONENDVM EST. *Iulian. Imp.*

ELO-

ELOGIVM.



EN TIBI SPECTATOR
SPIRANS INNOCENTIÆ SIMVLACHRVM
CHRISTIANÆ VERTEX GLORIÆ, MONTIÆ VIRTVTIS APEX
CHRISTOPHORVS MARIA CARD. ET PATRIARCHA
HIC IVLII III. PONT. MAX.
AGNATIONE PATRVELIS, INTEGRITATE GERMANVS,
INAVGVRATIONE FILIVS
MONTIORVM PROCERVM NVMERVM AVXIT, ET NVMEN.
NOMEN CHRISTOPHORI DIGNE TVLIT,
QVI CHRISTI PRÆTVLIT MORES:
DIVVM SIMVL, AC DEVM
VNO CERTAMINE ÆMVLATIONIS ADORTVS:
NEC AMBIGVVS DE VICTORIA
VNI LICET SVPPAR, ALTERO INFERIOR EVASVRVS.
TALEM POSCEBAT HOMINEM PATRIARCHALIS INFVLA
CANDIDA CANDIDVM.
SED INTER ROMANÆ FVLGORES PVRPVRÆ
BLANDIVS RENIDVIT CANDOR:
ET INTER TOT LIBA OPVLENTISSIMI SACERDOTII
ILLIBATA MENTIS PVRITAS.
DEFVNCTI MANES EXCEPIT OPPIDVM SANCTI ANGELI
DIGNVS HOMINE ANGELICO TVMVLVS.
NON AMISISTIS, MONTII, HANC FACEM
SED PRÆMISISTIS CÆSARI VESTRO,
HESPERVM GENTI, GENTILI PHOSPHORVM.

SYMBOLVM.

PErsica arbor è natiuo solo in nostrum traducta atquè onusta pomis.



DE
INNOCENTIA
CHRISTOPHORI MONTII PATRIARCHÆ ET CARD.
CVM ALLVSIONE
AD CÆSAREM GENTILEM PATRIARCHAM.

EPIGRAMMA.

Cùm tua, Christophore, aspicio constantia vocem
Facta: homo non fragilis, sed mihi Numen ades.
Numen ades, tenet atq; ipsum duo Numina nomen,
Sic gemini nomen Numinis omen habet.
Et tecum tuus haud metuet contendere Cæsar?
Non, ni & vicisset Numina, Cæsar erat.

DE

DE EADEM

CVM ALLVSIONE AD CÆSAREM MONTIVM

EPIGR.

Nominis omen habet, respondent vocibus acta:
Christophorus Christum nomine, more gerit.
Integer est vita, scelerisquè immunis, honesti
Cultor, & in superos Relligione grauis.
Fraus hostilis abest: linguaq, & pectore Verum
Stat: pudor, atq, fides intemerata viget.
Digna Deo vita est, Christoq, simillima: Quid plus?
Christophore, hoc satis est: nominis omen habes.
Nominis omen habes? dium mirare nepotem:
Quo caret ille, tamen nominis omen habet.

AD CÆSAREM MONTIVM

DE INNOCENTIA CHRISTOPHORI GENTILIS

CVM ALLVSIONE AD D. CHRISTOPHORVM MARTYREM.

EPIGR.

Christophori Christum, vario sed munere, bini
Gestant: ille humeris, moribus iste pijs.
Quantus is? Infanti, fando qui condidit Orbem,
Subdere ceruicem non timuisse suam?
Quantus hic, athereis gestat qui moribus istum?
Hunc, CÆSAR, doctius tollere, quantus eris?
Anteus ille gigas, Alcides iste gigantum
Ipse sed, Alcida quis nisi Cæsar erit?

CHRISTOPHORI, ET CÆSARIS MONTIORVM PATRIARCHARVM.

EPIGR.

Innocuum Christum Montus deportat vterque:
Vita est amborum viuida imago Dei.
Mirum, quòd vocem gestis in iungit imago:
At magè mirandum est, hanc sine voce loqui.

AD CHRISTOPHORVM MONTIVM CVM ALLVSIONE AD D. CHRISTOPHORVM.

HEXASTICHON.

Christophorum præfers, Christum fers, nomine vita:
Æmulus exemplar quam benè vtrumque refers?
Innocuus manuum, mentis celebratus, & oris:
Amborum nunquam talis imago fuit.
Cede tamen, functi nam functa elanguet imago;
Cæsaris en melior viuit imago tui.

DE CÆSARIS MONTII INNOCENTIA

ALIVD.

Vera est (iam credo) nec inanis fabula Vatum:
Monte homines quondam bella ciÿsse polo.
Iste mihi testis primis sit Montus ab annis,
Cui Sacra victori Purpura dona parat.
Æmulus æthereos tentat dum fingere mores,
Non hæc cum superis pugna vocanda Dÿs?


PVRPVREO AVTVMNVS PINGIT TIBI PEPLA LIQVORE
COMMVNE IMPERIVM CVM IOVE, CÆSAR, HABES.
AVTVMNVS
CARDINALATVS
TYPVS
Blancus f.

E M B L E M A.

V Væ in torculari pressæ.



Pampineos fœtus, rubicundaque pignora Bacchi,
Aggere collectos torcula læta tenent.
Præla madent domitis, petraq; premente gemiscunt;
Atq; rubescenti nectare plena fluunt.
Pro Petro an premeris? petra ne vrgente satiscis?
Dulce onus. Indè tibi purpura, MONTE, scatet.

POma varia ex arboribus per Autumnum collecta matura, & acerba.



CÆSAR MONTIVS
IN HISPANIAS PROCVRANDÆ PACIS GRATIA
NVNTIVS PROFECTVS
REVERTITVR CARDINALIS
ALLVSIO
AD C. IVLIVM CÆSAREM IMP.
EPIGR.

Cæsar abis, vastasq; Orbis petis impiger oras,
Hostis vt in Martem Martia bella geras. (phum
Ecce VENIS simul atq; VIDES, VINCISq; : Triũ-
Quid nisi parta recens Purpura læta canit?

DE CÆSARE MONTIO CARDINALI
ET M. ANTONII FRATRIS OBITV.
DIST.

Marcus adit Cœlum; Terræ moderamina Cæsar:
Orbis vterque sibi diuidit Imperium.

SYMBOLVM

Vindemia primis autumnalibus exposita.



PAMILLA, MONTIA
CÆSARI CARDINALI SVMMVM AVGVRATVR PONTIFICATVM
CVM ALLVSIONE
AD EMINENTISSIMOS ANTONIVM, INNOCENTIVM, CHRISTOPHORVM,
ET FRANCISCVM MARIAM CARDINALES MONTIOS.

EPIGR.

Iam mea per totas fulserunt lumina terras,
Et ferijt clarum lumen vtrunque polum.
Vndiq; victrices ostentant atria lauros:
Infula vbiq; mihi trita, & vbique Chlamys.
Fascibus enumero fasces, Tyrioque quaternos
Murice fulgentes iacto superba PATRES.
Incedit quintus Cæsar, flos gentis, & Orbis,
Præsul magnanimus, purpuræ & altus honor.
Hunc ite ergo mei deducite ritè nepotes:
Ite, Triumphali ducite honore virum.
PATRES *quadrigæ sunto: hic nixa quaterno*
CARDINE *erit: fronti Romaque serta dabit.*

SYMBOLVM.

V*itis adhærens vlmo, ac vuis rubentibus fœta.*



CÆSAR MONTIVS
AD PATRIARCHALEM, ATQ. ARCHIEPISCOPALEM INFVLAM
TERTIVM INSIGNE HONORIS
ID EST PVRPVRAM ROMANAM ADIVNGIT.

TETRASTICHON.

Lampade lustrabat Sapiens in sole plateas,
Quæro hominem, dicens, nec tamen inuenio.
Quid nunc ille, homines si tres reperiret in vno?
Aut mihi nulla dies, aut ego nullus homo.

CÆSARI MONTIO
CARDINALI
AVSPICIVM SVMMI PONTIF.

DISTICH.

Fortunata nimis Nato te Cæsare Roma:
Fortunata magis Cæsare Roma Patre.

DE

DE CARDINALATV SPECIATIM,
SEV CAMPI DISTRIBVTIO.

ELOGIVM.

MAIVS DECVS
ADDIT
AVTVMNVS:
MANERE MAXIMVM
AVTVMAT
CÆSAR MONTIE
CARDINALITIOS TIBI FASCES
DEFERENS.
GENEROSAS IN ACCLIVI TVO DVM REPERIT
VITES,
OBVIAM HABET
VNDE AMICTVM PVRPVRET.
SAPIENTIA, TEMPERANTIA
CIVILI PRVDENTIA, MAGNANIMITATE
AVTVMNALIBVS POMIS
DIVES,
MERVM POSCEBAS
AVCTARIVM.

SAPIENTIA.

NVLLA EST SCIENTIA, SI VTILITATEM PIETATIS NON HABEAT: ET INVTILIS EST PIETAS, SI SCIENTIÆ DICRETIONE CAREAT. *S. Greg.*



QVI NAVEM GVBERNANT, ALIENA VOCE, IVSSVQ. VTVNTVR: SED QVI REMP. ADMINISTRANT, IN SE IPSIS SAPIENTIAM HABEANT, OPORTET, VT NON SIT OPVS ALIENA VOCE. *Plutar.*

ELO-



TE ANTONI MONTIE
CARDINALIS AMPLISSIME
ADMIRATIO CONCIPIAT, FAMA PARIAT;
QVEM VNVM SEPTEM GRÆCIÆ SOPHIS
ITALIA CHRISTIANA OBIICERET,
NE PLENO CŒTV SVMMORVM ANTISTITVM A
INAVSPICATO PISAS COACTO FÆLICIVS OBIECISSET.
HIC CLEMENTIS VII. PONT. MAX.
PATRVVS GENERE, CONSILIO PATER
NESCIAS, INTEGRITATE, AN SAPIENTIA SPECTABILIOR PRÆSVL;
CERTE ET INTER SAPIENTES INTEGERRIMVS,
ET INTER INTEGROS SAPIENTISSIMVS SPECTATVS:
HAVSTAM E CÆLO SAPIENTIAM AD ALLVENDOS VRBIS AGROS
LATIVS, AC LÆTIVS
QVAM SVAS TIBRIS VNDAS DERIVAVIT.
ABSENTIS AB VRBE PONTIFICIS LEGATVS IMPLEVIT ORACVLVM.
ANNE ALIVS SEPTEM PRÆESSET COLLIBVS, QVAM
MONS EMINENTISSIMVS?
EIVS CINERES ROMÆ IN MONTE AVREO CONDITI
PRETIOSAM TESTANTVR MORTEM:
VIRTVTIS HÆREDEM, SVCCESSOREM NOMINIS
SVVM RELIQVIT EX ASSE
CÆSAREM.

SYM-

SYMBOLVM.

Vitis folia exuens.



ANTONII MONTII CARDINALIS
SAPIENTI CONSILIO
ABROGATVR PISANO CONCILIO FIDES.

EPIGRAMMA.

Conueniunt Proceres sacra ad comitia Pisas
Heu nimis infausto sidere conueniunt.
Luminibus Cælum cæcis si fulserit, ecquis
Tutus inoffensum tendat in Orbe pedem?
Si (Sapiens retulit) sapiens dominabitur Astris;
Errabunda (iubet Montius) ite procul.

DE

DE

ANTONII MONTII CARDINALIS SAPIENTIA

CVM ALLVSIONE

AD MARCVM ANTONIVM TRIVMVIRVM.

EPIGR.

Fex ille Romæ tetra, fax, incendium,
Orbisq; pestis, vastitas, pallor, pauor
Antonius, quo fœdius monstrum tulit
Non alterum tellus Latina antiquitùs:
En alteri victus recenti Antonio
Cedit malè vsurpati honorem nominis:
Pestis nefandæ vindicem dum conspicit,
Patrem Sacrorum, Antistitem iuris grauem.
Sic nominis delet vetustum dedecus
Antiquus alter moribus, vità recens.

ANTONII MONTII

SAPIENTIA

FIDEM ABROGAT PISANO CONCILIO.

EPIGRAMMA.

Quàm malè consultò coguntur Numine Patres?
An, nisi in ipsius nomine, Numen adest?
Obijce te, Antoni: pandent te oracula. Cœtum
Collegisse hominum est, dissoluisse Dei.

ANTONII MONTII

CARD. LEGATI ROMANI PRO CLEM. VII.

TVMVLVS

ROMÆ IN MONTE AVREO.

Antonî hic tumulus: Septem qui collibus Vrbis
Iura dedit: functum quàm breuis vrna tenet?
Neu stupeas. Loculo hoc tantus benè clauditur Heros:
Auri sic loculo gemma superba nitet.

ALIVS.

Salue magne cinis, Manes saluete beati,
Et sacer Antonî, qui tegis ossa, lapis.
Mausolea silet moles, superata residit:
Splendidus Augusta creditur arctus amor.
Aurea vita tibi, tumulus fuit AVREVS, & MONS:
An preciosa alibi fama sacranda fuit?

ALIVS.

Magni hic Antonî cineres, hic ossa quiescunt.
Thesaurum o quantum continet vrna breuis.
Aurea mens, verba aurea, & aurea facta fuere;
Vilia quæq; ipsi, sunt preciosa aliis.
Auri vel moles est illi credita vilis:
Aurea sed virtus vna putata viro est.
Cur non & vitæ funus respondeat actæ?
Aureus an fuerat vir tumulandus humi?

TEMPERANTIA.

REGNANTIS FACVLTAS TVNC FIT DITIOR, CVM REMITTIT, ET ACQVIRIT NOBILES THESAVROS FAMÆ, NEGLECTA VTILITATE PECVNIÆ. *Cassiod.*



AD HOC SIGNVM PROSPICIENTES, DIRIGERE VITAM DEBEMVS: OMNIA, TAM PVBLICA, QVAM PRIVATA AD HOC REFERENTES, VT IVSTITIA ET TEMPERANTIA ILLI ADSIT, QVI FVTVRVS SIT FÆLIX. *Plut.*

ELOGIVM.



QVISQVIS AVES
TEMPERANTIS DECVS ANIMI IN MAXIMO PRINCIPE
SARTVM, TECTVM INSPICERE, SVSPICE
FRANCISCVM MARIAM MONTIVM
QVI MARCHIONATVS S. MARIÆ HÆREDITARIO CLARVS NOMINE
PVRPVRA ROMANA TIT. S. MARIÆ IN ARA CÆLI INSIGNITVS
INTER TOT BLANDIENTIS FORTVNÆ,
AC FAMÆ APPLAVDENTIS DELICIAS
INVIOLATVM SERVAVIT RATIONIS IMPERIVM,
INCONCVSSAM MENTEM, INTAMINATVM ANIMVM.
D. FRANCISCI ASSISINATIS ÆMVLATOR
MALVIT INOPS ESSE IN COPIA:
IN LVXV NON LVXARI, IN AFFLVENTIA NON DIFFLVERE.
HOSTEM, INTER CASTRA FÆLICITATIS, LIBIDINEM
ADVERSO, QVAM AVERSO CORPORE
DIFFICILIVS AD PVGNAM, FACILIVS AD GLORIAM OPPVGNARE.
ARÆ CÆLI DICATAM SE SCIENS VICTIMAM
EX AMALTHEÆ CORNV LECTIS FLORIBVS CORONARI,
QVAM INCOMPTVM, SORDIDATVMQ. SISTI:
CÆSARI SVO
VEL EXEMPLVM TRANSMITTENS, VEL SPECVLVM,
VBI NON TAM GENTILEM, QVAM SEMET INSPICERET
VIVAM TEMPERANTIÆ CÆLESTIS
IMAGINEM.

SYM-

SYMBOLVM.

IMber primus autumnalis.



TEMPERANTIA FRANCISCI MARIÆ CARDINALIS MONTII IN AVLA ROMANA

EPIGR.

Hic, vbi flat sauos Boreas vesana libido,
Fluctibus & surdis mens agitata furit:
Inter tu Boreas, fluctus interq; strepentes
MONTIE, quàm placidus, quàmq; beatus agis?
Scilicet attollis veluti MONS culmen olympo,
Grata vbi temperies regnat, & aura leuis.

FRANCISCI M. CARD. MONTII TEMPERANTIA
CVM ALLVSIONE
AD D. FRANCISCVM ASSISINATEM.

HEXASTICHON.

Cuius ab augusto decoraris nomine, MONTE,
Æmulus exemplo facta referre studes.
Franciscus victus opibus moderatus habetur;
Inter tu largas parcus haberis opes.
Si magna auerso laus est confligere, quanta
Laus erit aduerso pectore bella sequi?

TEMPERANTIÆ TYPVS
IN FRANCISCO MARIA CARD. MONTIO
HEXAST.

Hinc ego Franciscum iacto, iacto inde Mariam;
Fælix auspicium nomen vtrumq; facit.
Instar id Oceani largo dat gurgite census:
Hoc tenuem in largis censibus esse docet.
Ex gemino hoc nostrum constabit nomine nomen,
Nixaq; in hoc gemino CARDINE vita cadet.

DE EODEM ALIVD
CVM ALLVSIONE AD TITVLVM CARDINALATVS
S. MARIÆ IN ARA CÆLI.

Splendida cum fuerit nactus cunabula Montus,
Cui dederit Cæsar nomina, Crassus opes:
Mens tamen in luxu non est luxata fluenti:
Pulsatam tetigit nulla libido probris.
Altior at cunctis, vt MONS, Cæli alta petiuit.
Mirum? ARÆ CÆLI victima Montus erat.

DE

DE
FR. MARIA MONTIO
CARD. ARÆ CÆLI

OCTOSTICHON.

Hic MARIA, hic TERRAS, hic CÆLVM conſpice, Lector,
Eſt hæc vnius gloria tota viri,
Quàm benè cuncta ſuis digeſta in ſedibus hærent?
Illa iacent, ſurgunt hæ, ſed id alta tenet.
In magnis humile te opibus dat PONTVS: in imis
MONS celſum: humanis ARA POLIq; pium.
O type belle Orbis magni, nec parue vocande:
An Microcoſmus eris, qui Macrocoſmus ades?

TEMPERANTIA.
FR. MARIÆ MONTII
EX MARCHIONIBVS S. MARIÆ
CARDINALIS
TIT. S. MARIÆ IN ARA CÆLI,

HEXAST.

Nomina ſancta dedit tibi ſors è ſorte parentum;
Lucina & genito nomina ſancta dedit:
Virtus emerito tribuit quoque nomina dia:
En dium MARIÆ nomen vbiq; ſonat.
Scilicet humanas moderans res, Diuus haberis;
Ara tibi Cœli certa ſit arrha poli.

CIVILIS PRVDENTIA

SACERDOTIS EST POPVLVM MONERE, NON MOVERE ARMA: QVIA GLADIVM MENTIS, NON MARTIS TENET. *S. Io. Chrys.*



QVI REIP. PRÆSVNT, DVO PLATONIS PRÆCEPTA TENEANT. VNVM, VT VTILITATEM CIVIVM SIC TVEANTVR, VT QVIDQVID AGANT, AD EAM REFERANT OBLITI COMMODORVM SVORVM. ALTERVM, VT TOTVM CORPVS REIP. CVRENT: NE, DVM PARTEM ALIQVAM TVENTVR, RELIQVAS DESERANT. *M. T. Cic.*

ELO-

ELOGIVM.



AMBIGVIS LVDIBVNDAM SVCCESSIBVS
QVID TV FORTVNAM VOCAS?
TESTIS EST INCORRVPTVS
INNOCENTIVS CARD. MONTIVS NVNCVPATVS
CVI ILLA CONSTANTI TENORE FÆLICITATIS TRACTAVIT ALEAM:
ALLVSIT SEMPER, ILLVSIT NVNQVAM:
ARRISIT, NON IRRISIT:
NATVRÆ, CREDO, PROVOCATA SPLENDORE,
QVÆ PRÆCELSVM HVMILIORIS NATALIS HOMINI
IMPERTIVIT INGENIVM:
PVERVM PRÆCLARÆ INDOLIS, OBSCVRÆ FAMILIÆ
IO: MARIA MONTIVS SIPONTINVS ANTISTES
BONONIAM LEGATVS ADMINISTRANS
BONO SANE OMINE IN FAMILIARES ASCIVIT,
EGREGIIS MORIBVS, HONESTIS LITERIS EXPOLITVM
AD CONSVMMATAM CIVILIS PRVDENTIÆ LAVDEM INFORMAVIT.
PONTIFEX ROMANVS CREATVS
QVEM IPSE GESTARAT, SACRO DONATVM PILEO
NOMINE QVOQVE, AC STEMMATE MONTIO INAVGVRAVIT.
NON DEBVIT TANTI ALVMNI VIRTVS DIGNA ORBIS THEATRO
ALIBI, QVAM IN M O N T E COLLOCARI,
VBI ÆMVLO TANTÆ GLORIÆ
C Æ S A R E
DIGNARETVR.

SYMBOLVM.

BOues iugati, Aratrum & cætera agriculturæ Autumnali necessaria.



INNOCENTIVS
A IVLIO III. MONTIO EDVCATVS,
AC ROMANA PVRPVRA INSIGNITVS
IN FAMILIAM COOPTATVR.

EPIGRAMMA.

Hæc, quæcunque vides in me ornamenta nitere,
Splendida sunt MontI munera læta mihi.
Is mores formauit, opes aggessit, & altum
Nomen: & est eius stemma, quod ipse gero.
Maximus euasi: quid enim iactare pudebit?
Ecquis conscenso monte pusillus erit?

DE EODEM.
DISTIC.

Ne mirere meos septeno in colle triumphos.
Montius excelsum me iubet esse iugum. AD

IVLII III. PONT. MAX.
MVNIFICENTIA
AD INNOCENTIVM MONTIVM, ET CARDINALEM.

HEXAST.

Te quoq; sublatum cumulauit MONTIVS honore:
Ex puero mira reddidit arte virum.
Fascibus admouit Latijs, & murice texit
Ausonio: gentis nobile stemma dedit.
Te montem fecit, Montos dum cessit honores.
Quàm clara ex istis Montibus vmbra cadit?

AD EVNDEM TETRASTICHON.

Dat tibi largus opes tenui: dat nomina Montus
Ignoto: mentem dat senis & puero.
Nec satis: Ausonij dat iura verenda Senatus.
Quantus sub tanto sidere natus eras?

INNOCENTIVS MONTIVS CARD.
DIGNITATEM SVAM IVLIO III. PONT. MAX.
ACCEPTAM REFERT.

HEXASTICHON.

Non si Threicijs iungat mea carmina neruis,
Grates pro meritis Musa referre valet.
Artibus excello per te, virtute corusco;
Affluo fortunis, murice & eniteo:
Per te conspicior: Per te sum grandis in Orbe:
EMINEO p̃ te, MONTIE, MONS superus.

DE EODEM TETRASTICHON.

Montus ego, non Montus ego: virtutis vt hæres:
Nomine sic Montus, Montus honore mico.
Quo decoror, Montem decorauit Pileus olim:
Se quoque nunc MontI iactat habere caput.

MA-

MAGNANIMITAS.

MAGNANIMITAS RES MODO SVBLIMIORES ANTE OCVLOS SIBI PROPONIT. *S. Isid. Pelus.*



DECET EOS, QVI NATVRA, ET NON FORTVNA MAGNIS ANIMIS SVNT, PRÆCLARA SVSCIPERE FACINORA. *Isocr.*

ELO-

ELOGIVM.



VRBANVM VIII. BARBERINVM

PONT. OPT. MAX. ICCIRCO MAIORIBVS TVIS ASSERIMVS
CÆSAR MONTIE
QVOD TE PVRPVRATIS SVIS INSERVIT:
VEL IN HOC MAGNANIMVS PONTIFEX,
QVOD VRBEM VRBIVM MAXIMAM, TE ADOPTATO, MAIOREM EFFECIT,
ET IMPOSITO COLLIBVS MONTE, VETERIS FABVLÆ MIRACVLVM
SVPERAVIT.
VRBANAM QVIS DIXERIT BARBARIEM,
QVOD TE CARISSIMÆ ERIPVIT PATRIÆ,
MOX VT AVCTVM HONORIBVS RESTITVERET.
NON POTERAT VRBANVS AMORE MONTIS NON CAPI
SEPTICOLLIS VRBIS AMOENITATEM EXPERTVS.
CÆSAREM AD ORBIS NATVM IMPERIVM
SVA IMPERTIVIT PVRPVRA, NON DONAVIT.
VIAM PATEFECIT, NON FECIT AD SOLIVM,
SED AB ANNO LABENTIS SÆCVLI VIGESIMO NONO
CARDINALEM GESTAVIT IN PECTORE:
TRIGESIMO TERTIO RENVNTIAVIT.
IAM INDE ERAS IN ALBO PVRPVRATVS;
PVRPVRA TIBI DEERAT, NON TV PVRPVRÆ.
MAGNVM ILLE PARITVRVS FOETVM,
GRAVEM DIVTIVS GESTAVIT ALVVM.
MORA LONGIOR EXPECTATIONEM AVXIT TRIVMPHI,
EXPECTATIO LÆTITIAM.

SYMBOLVM.

Liquor ex vuæ racemo expressus, & effusus in mari, cum naui mox soluta, & velificante. Religio vetus fuit, vt nauigationis fælicis gratia, libaretur mustum Neptuno.



MAGNANIMITAS
VRBANI VIII. BARBERINI PONT. MAX.
IN ADOPTIONE
CÆSARIS MONTII CARDINALIS.

EPIGR.

Pastor maxime, Principumq́ Princeps
VRBANE ò Pater alme, lux & Orbis:
Cùm tot tam tibi plauserint trophæa:
Tollentes tot ad astra culmen Arces:
Tot surgentia tecta, tot columnæ:
Tot delubra Deùm, modiquè docti:
Nil MONTO tibi grandius trophæum.

AD

AD VRBANVM VIII.
DE CÆSARE MONTIO CARD. INAVGVRATO
ALLVSIO
AD APES BARBERINI. STEMMATIS.

Dum roseo per te Montus decoratur amictu,
Maior sit mentis nuntia fama tua.
Iam sileat Vates: Apis hac nam trina laborans
Mellificatq; alijs, mellificatq; sibi.

AD EVNDEM ALIVD.

Vrbane ô Princeps, totus quem suspicit Orbis,
Vrbis ab imperio nomine dicte graui:
Maxima posteritas inter monumenta reponet,
Quæ per te Montus nomina clara tulit.
Hactenus in placido Capitolia colle patebant:
Nunc Mons æthereus dat tibi in axe thronum.

CÆSAR MONTIVS
EX NOBILISSIMO COLLEGIO I. C. MEDIOLANENSIVM
AD NVNTIATVRAM, PATRIARCHATVM, ROM. PVRPVRAM
AB VRBANO VIII. EVEHITVR.
EPIGRAMMA.

Hic, vbi Phœbæo vernabat laurus honore,
Apricum varius flos miniauit agrum.
Pallentes violas, albentia cerne ligustra,
Et pubescentes crine rubente rosas.
Quis, nisi Sol, nostrum depinxit floribus agrum?
Vrbane ô, salue, Phœbe benigne mihi.

AD VRBEM ROMAM
DE CÆSARE MONTIO CARD. CREATO.
EPIGR.

Amphitheatra tuis paſsim naſcentia campis
Roma Latina ſile.
Atriaquè excelſis circùm ſuffulta columnis
Nobile Ciuis opus:
Cæſaris inſano ſurgentem vertice molem
Tollere in aſtra ſine:
Æmula ſiderei neu iactes limina Templi,
Aurea tecta Iouis.
Altior eueheris, celſis nunc improba Colles
MONTIBVS accumulans.

VRBANVS VIII.
ROMANÆ MAGNIFICENTIÆ TYPVS
IN CÆSARIS MONTII CARD. ADOPTIONE.
EPIGRAMMA.

Extollant aliqui puris reſonantia lymphis
Oſtia, & Euripos arte iocante vagos.
Lemmata ſubiectis inſcripta hic fontibus ornet:
Lemmata, Muſa quibus murmura cantat aqua.
Ille renaſcentes Diuorum prædicet Ædes:
Surgentiſq. Arcis concinat iſte iugum.
Vrbane, his equidem Princeps generoſus haberis,
Vrbis ſupremo dignus & imperio.
Collibus at MONTEM qui te peperiſſe videbit,
Vrbis te verum concinet eſſe Patrem.

Vrbani VIII. Barberini memoriam immortalem illa in primis fecere, ſuperiore perſtricta Epigrammate: Fontes in Monte Pincio, in hortis Vaticanis extructi; Carmina inibi inſcripta: Templa inſtaurata SS Caij, & Bibianæ: Arx Vrbana in agro Bononienſi funditùs excitata: Adriana moles in Vrbe maximis munita propugnaculis: Denique Odæum Baſilicæ Vaticanæ inſano ſumptu, ac regia magnificentia exornatum.

INSV-


INSVBRIÆ DAT HYEMS CANAM TIBI FRIGIDA MITRAM
COMMVNE IMPERIVM CVM IOVE, CÆSAR, HABES.
HYEMS
TYPVS

EMBLEMA.

ALcyone in mari nidificans.



Cum fouet Alcyone brumali frigore pullos
Fluctibus in medijs humida strata premens:
Non strepit horrendus Notus, aut fremit imbricus Auster;
Gurgite sed placido tuta quiescit Auis.
Dixeris imperium pelagi cessisse volucri,
Diuisa aut liquidum sceptra tenere Deum.
Haud secus, ætherea nuper quos Forte petisti,
Insubriæ genios, inclyte MONTE, foues,
Æolus horribili quamuis perflaret ab Austro,
Et minitaretur funera dira rati:
Tu tamen aduentans iussisti stare procellas,
Spumosa & leni stagna quiete frui.

SYMBOLVM.

SOl ſub ſignis hybernis Zodiaci niuem in colle lique-faciens.



DE

CÆSARE MONTIO ARCHIEPISC. MEDIOLANEN.

ET OBITV IMMATVRO

M. ANTONII FRATRIS, REGII SENATORIS.

EPIGR.

Par iuuenum fælix, ſoboles lectiſsima Montæ
ANTONI, CÆSAR, floſq; decuſq; domus.
Vna ambos gremio fouit, formauit & ambos
Patria, quos genuit, mox habitura Patres.
Clara ſed amborum creſcit dum fama per orbem,
Et faſces geminos Vrbis vterq; petit:
Heu cur, ANTONI, ſubitò tua lumina claudis?
Parca (reor) Soles inuidet eſſe duos.

SYMBOLVM.

SVb hyemalibus signis Zodiaci laurus frondens inter nudatas arbores.



CÆSAR MONTIVS
ARCHIEPISCOPVS, ET CARDINALIS
TRANQVILLITATEM ECCLESIÆ MEDIOLANEN. PORTENDIT.

TETRASTICHON.

Murex quòd Tyrius, CÆSAR, tibi pinxit amictum,
Imperium pelagi prædicat esse datum.
Ergo, feri ò flatus, Regi parete iubenti:
Maturate fugam, mobile stetq; salum.

DE EODEM
FEDERICI BORROMÆI CARDINALIS
SVCCESSORE IN ARCHIEPISCOPATV MEDIOLANEN.
ALIVD.

Romæo deuota Patri vrbs, & Roma secunda
ROMÆO plausit Præsule recta BONO.
Cæsari at vt sensit fasces decernier vrbis:
Quò mihi Ciuis (ait) si mihi Cæsar adest?

SYM-

SYMBOLVM.

SVb Capricorno cælesti fasciculus Pulegij de clauo pendens, & florens.



CÆSAR MONTIVS
ARCHIEPISCOPVS IN PATRIA
HEXASTICHON

Quàm benè Stella suo radiata coruscat in Orbe?
Clausa suo in loculo quàm benè Gemma nitet?
Quàm benè natiua stat candidus Vnio concha?
Arbos in patrio quàm benè vernat agro?
Cæsar aue O carum Sidus, Gemma, Vnio, & Arbos:
Patria quàm gestit luce beanda tua?

DE MARCI ANTONII SENATORIS OBITV
CVM ALLVSIONE
AD CÆSAREM FRATREM ARCHIEPISC. IN PATRIA.
TETRASTICHON.

En morior: Cogunt sic fata fauentia fratri.
Me minui, ast illum crescere audra iubent.
Si mea non claudam, non is sua lumina pandet:
Nec nisi, Sol oriens, Luna abeunte, redit.

DE

ELOGIVM.

NON TIBI INFESTA
HYEMS
CÆSAR MONTIE.
QVÆ
SVAS LARGIVS OPES IMPERTIT
MONTIBVS:
NON STERILIS,
QVÆ
IPSO ALIT GELV SVRGENTES FRVGES
NIVIBVS FOVET, COQVIT, PRVINIS.
EN VT BELLE TIBI CANDIDAT
INSVBRICAM TIARAM CVM PALLIO,
QVO
ENATAS IN TE NEPOTE MAIORVM SEGETES
ERVDITIONEM, BENEFICENTIAM
CHARITATEM, VIGILANTIAM
OPPORTVNE OBTEGENS
FÆLICIOREM SVBNASCENTIS ANNI FOVEAT
MESSEM.

ERV-

ERVDITIO.

OCVLO CORPORIS EPISCOPVM ADVERTIMVS SIGNIFICATVM: QVI CLARA FIDEI SVÆ, AC DOCTRINÆ PRÆDICATIONE, VELVT OCVLVS QVIDAM, ECCLESIÆ CORPVS ILLVMINAT. *Chromatij Epis.*



QVEMADMODVM MOENIA CIVITATIBVS: SIC ANIMI MENS PER DISCIPLINAM EXCVLTA DECVS ET MVNIMENTVM PRÆSTAT. *Democr.*

ELOGIVM.



ALTERVM GENS MONTIA
PETRVM
SED ALIO FVLGENS LVMINE SIDVS
OSTENTAT.
ILLE MELITENSIS MILITIÆ IMPERATOR MAXIMVS
PRO CHRISTIANO VEXILLO DEVOVIT CAPVT;
DEVOTIONIS IPSE VEXILLVM EXPLICANS:
HIC BRIXIENSI SACERDOTIO CLARVS
SACERDOTII SPLENDOREM, ET SACRAM ROM. IMPERII MAIESTATEM
SVO ILLVSTRAVIT INGENIO.
DEBET VTRIVSQ. PETRI PIIS MANIBVS VNIVERSA CHRISTI RESP.
VNIVS ARMIS ET FERRO: SCRIPTIS, ET STYLO ALTERIVS
ACERRIME PROPVGNATA.
VIVENT SANE, ÆTERNVMQ. IN ADMIRANTIVM OCVLIS VIVENT
TROPHÆA MELITENSIA, MONVMENTA BRIXIENSIA
CÆSARIANIS AQVILIS, ROMANIS CLAVIBVS
DIGNISSIMA.
QVOT TIBI, CÆSAR, EX GENTE
IMPERII AVSPICIA?
ALTER EX PIETATE PETRVS, EX ERVDITIONE ALTER
OMINANTES,
TE
IN VTROQ. CÆSAREM PRÆDICANT,
EX VTROQ. PETRVM PRÆDICVNT.

SYM-

SYMBOLVM.

MOntosa, & plana magnis operta niuibus: in queis dispositi lapides indices viæ. Id in Noruegia visitur, alijsq; passim oris Septentrionalibus.



PETRVS MONTIVS EPISCOPVS BRIXIEN. VIR DISERTISS.
AVTHOR OPERVM
DE CONCILIIS GENERALIBVS, POTESTATE ROM. PONTIFICIS,
CARDINALITIA DIGNITATE,
AC ORIGINE, ET POTESTATE IMPERATORIA.

EPIGRAMMA
CVM ALLVSIONE AD CÆSAREM NEPOTEM ARCHIEPISCOPVM.

Hic docto pracepta sacris dat cœtibus ore:
Pontificis Latij iura suprema docet.
Explicat Ausonij maiestatemq; Senatus:
Cæsaris & qua sint sceptra verenda, monet.
Qualis hic est, tantos Proceres qui commonet Orbis?
Maiore è tali quantus at iste Nepos?

AD

AD
PETRVM MONTIVM EPISCOPVM BRIXIEN.
SCRIPTOREM ERVDITISSIMVM.

HEXASTICHON.

Alma parens, altrixq́ virùm gens Montia, alumnum
Te meritò iactat, Petre, superba suum.
Cui spatium licet exiguum virtutis iniqua
Fors dederit, maius post fera fata paras.
Perge, Heros, proferre citò monumenta sagacis
Ingenij: Fati, nomine, victor eris.

AD EVNDEM ALIVD.

CVM ALIVS.

AD SCRIPTA DE PONTIFICIA, ET CÆSAREA POTESTATE.

Tanta tibi docta laus est, & gloria frontis,
Quantam, qua fulges, Infula sacra probat.
Te tamen & maior moliris maxima chartis
Tradere, vbi Cæsar, Petrus & ipse legat.
Brixia (macte) tibi fuit hactenus vnaTheatrum:
Inde Theatralis machina Mundus erit.

DE EODEM ALIVD
CVM ALLVSIONE AD SCRIPTA PONTIFICIA, ET CÆSAREA
ET AVSPICIO
AD CÆSAREM MONTIVM.

Ioniade Petro Terræ, Cælique potenti
Claues Ars geminas relligiosa dedit.
Petro sed nostro geminum Ius ritè docenti
Claues cur geminas grata Minerua neget?
Sed quas Ius Petro danti fors Fata negarunt,
Fatorum victor, Cæsar, in Vrbe geres.

PETRI MONTII EPISCOPI BRIXIEN.
AVTHORIS OPERVM
DE CONCILIIS GENERALIBVS,
POTESTATE ROM. PONTIFICIS,
CARDINALITIA DIGNITATE,
AC ORIGINE, ET POTESTATE IMPERATORIA
TVMVLVS.

Regna, Mitræ, Pilei, Diademata serta maniplis
Hæc fuerint Tumuli, Petre, trophæa tui.
Nam tua quòd laudem cunctis monumenta tulerunt,
laudis ea æterna sunt monumenta tua.

EIVSDEM ALIVS.

Hac Petri cineres arcta clauduntur in vrna,
Claudere quem grandis pagina vix potuit.
Organa muta silent: sed enim vox ampla resultat:
Aula Petri hac reboat, Cæsaris Aula tonat.

BENEFICENTIA.

BENEFACERE HOMINI, EST BENEFICIVM MAGNVM APVD DEVM DEPONERE. *S. Io: Chrysost.*



MAGNIFICVM ET INGENS, NVLLA QVOD RAPIAT DIES, PRODESSE MISERIS: SVPPLICES FIDO LARE PROTEGERE. *Sen. Trag.*

SYMBOLVM.

LIquor ex vuæ racemo expressus, & effusus in mari, cum naui mox soluta, & velificante. Religio vetus fuit, vt nauigationis fælicis gratia, libaretur mustum Neptuno.



MAGNANIMITAS
VRBANI VIII. BARBERINI PONT. MAX.
IN ADOPTIONE
CÆSARIS MONTII CARDINALIS.

EPIGR.

Pastor maxime, Principumq́ Princeps
VRBANE ò Pater alme, lux & Orbis:
Cùm tot tam tibi plauserint trophæa:
Tollentes tot ad astra culmen Arces:
Tot surgentia tecta, tot columnæ:
Tot delubra Deùm, modiquè docti:
Nil MONTO tibi grandius trophæum.

AD

AD VRBANVM VIII.
DE CÆSARE MONTIO CARD. INAVGVRATO
ALLVSIO
AD APES BARBERINI. STEMMATIS.

Dum roseo per te Montus decoratur amictu,
Maior fit mentis nuntia fama tua.
Iam sileat Vates: Apis hæc nam trina laborans
Mellificatq; alijs, mellificatq; sibi.

AD EVNDEM ALIVD.

Vrbane ô Princeps, totus quem suspicit Orbis,
Vrbis ab imperio nomine dicte graui:
Maxima posteritas inter monumenta reponet,
Quæ per te Montus nomina clara tulit.
Hactenus in placido Capitolia colle patebant:
Nunc Mons æthereus dat tibi in axe thronum.

CÆSAR MONTIVS.
EX NOBILISSIMO COLLEGIO I. C. MEDIOLANENSIVM
AD NVNTIATVRAM, PATRIARCHATVM, ROM. PVRPVRAM
AB VRBANO VIII. EVEHITVR.
EPIGRAMMA.

Hic, vbi Phœbæo vernabat laurus honore,
Apricum varius flos miniauit agrum.
Pallentes violas, albentia cerne ligustra,
Et pubescentes crine rubente rosas.
Quis, nisi Sol, nostrum depinxit floribus agrum?
Vrbane ô, salue, Phœbe benigne mihi.

AD VRBEM ROMAM
DE CÆSARE MONTIO CARD. CREATO.
EPIGR.

Amphitheatra tuis paſsim naſcentia campis
Roma Latina ſile.
Atriaquè excelſis circùm ſuffulta columnis
Nobile Ciuis opus:
Cæſaris inſana ſurgentem vertice molem
Tollere in aſtra ſine:
Æmula ſiderei neu iactes limina Templi,
Aurea tecta Iouis.
Altior eueheris, celſis nunc improba Colles
MONTIBVS accumulans.

VRBANVS VIII.
ROMANÆ MAGNIFICENTIÆ TYPVS
IN CÆSARIS MONTII CARD. ADOPTIONE.
EPIGRAMMA.

Extollant aliqui puris reſonantia lymphis
Oſtia, & Euripos arte iocante vagos.
Lemmata ſubiectis inſcripta hic fontibus ornet:
Lemmata, Muſa quibus murmura cantat aqua.
Ille renaſcentes Diuorum prædicet Ædes:
Surgentiſq. Arcis concinat iſte iugum.
Vrbane, his equidem Princeps generoſus haberis,
Vrbis ſupremo dignus & imperio.
Collibus at MONTEM qui te peperiſſe videbit,
Vrbis te verum concinet eſſe Patrem.

Vrbani VIII. Barberini memoriam immortalem illa inprimis fecere, ſuperiore perſtricta Epigrammate: Fontes in Monte Pincio, in hortis Vaticanis extructi; Carmina inibi inſcripta: Templa inſtaurata SS Caij, & Bibianæ: Arx Vrbana in agro Bononienſi funditus excitata: Adriana moles in Vrbe maximis munita propugnaculis: Denique Odæum Baſilicæ Vaticanæ inſano ſumptu, ac regia magnificentia exornatum.

INSV-


INSVBRIÆ DAT HYEMS CANAM TIBI FRIGIDA MITRAM
COMMVNE IMPERIVM CVM IOVE, CÆSAR, HABES.
HYEMS
ARCHIEPISCOPATVS
TYPVS



EMBLEMA.

ALcyone in mari nidificans.



Cum fouet Alcyone brumali frigore pullos
Fluctibus in medijs humida strata premens:
Non strepit horrendus Notus, aut fremit imbricus Auster;
Gurgite sed placido tuta quiescit Auis.
Dixeris imperium pelagi cessisse volucri,
Diuisa aut liquidum sceptra tenere Deum.
Haud secus, ætherea nuper quos Forte peristi,
Insubriæ genios, inclyte MONTE, foues,
Æolus horribili quamuis perflaret ab Austro,
Et minitaretur funera dira rati:
Tu tamen aduentans iussisti stare procellas,
Spumosa & leni stagna quiete frui.

SYMBOLVM.

Sol sub signis hybernis Zodiaci niuem in colle liquefaciens.



DE

CÆSARE MONTIO ARCHIEPISC. MEDIOLANEN.

ET OBITV IMMATVRO

M. ANTONII FRATRIS, REGII SENATORIS.

EPIGR.

Par iuuenum fælix, soboles lectissima Montæ
ANTONI, CÆSAR, flosq; decusq; domus,
Vna ambos gremio fouit, formauit & ambos
Patria, quos genuit, mox habitura Patres.
Clara sed amborum crescit dum fama per orbem,
Et fastes geminos Vrbis vterq; petit:
Heu cur, ANTONI, subitò tua lumina claudis?
Parca (reor) Soles inuidet esse duos.

SYMBOLVM.

SVb hyemalibus signis Zodiaci laurus frondens inter nudatas arbores.



CÆSAR MONTIVS
ARCHIEPISCOPVS, ET CARDINALIS
TRANQVILLITATEM ECCLESIÆ MEDIOLANEN. PORTENDIT.

TETRASTICHON.

Murex quòd Tyrius, CÆSAR, tibi pinxit amictum,
Imperium pelagi prædicat esse datum.
Ergo, feri ò flatus, Regi parete iubenti:
Maturate fugam, mobile stetq; salum.

DE EODEM
FEDERICI BORROMÆI CARDINALIS
SVCCESSORE IN ARCHIEPISCOPATV MEDIOLANEN.

ALIVD.

Romæo deuota Patri vrbs, & Roma secunda
ROMÆO plausit Præsule recta BONO.
Cæsari at vt sensit fasces decernier vrbis:
Quò mihi Ciuis (ait) si mihi Cæsar adest?

DE ARCHIEPISCOPATV SPECIATIM,
SEV CAMPI DISTRIBVTIO.

ELOGIVM.

NON TIBI INFESTA
HYEMS
CÆSAR MONTIE,
QVÆ
SVAS LARGIVS OPES IMPERTIT
MONTIBVS:
NON STERILIS,
QVÆ
IPSO ALIT GELV SVRGENTES FRVGES
NIVIBVS FOVET, COQVIT PRVINIS.
EN VT BELLE TIBI CANDIDAT
INSVBRICAM TIARAM CVM PALLIO,
QVO
ENATAS IN TE NEPOTE MAIORVM SEGETES
ERVDITIONEM, BENEFICENTIAM
CHARITATEM, VIGILANTIAM
OPPORTVNE OBTEGENS
FÆLICIOREM SVBNASCENTIS ANNI FOVEAT
MESSEM.

ERV-

ERVDITIO.

OCVLO CORPORIS EPISCOPVM ADVERTIMVS SIGNIFICATVM: QVI CLARA FIDEI SVÆ, AC DOCTRINÆ PRÆDICATIONE, VELVT OCVLVS QVIDAM, ECCLESIÆ CORPVS ILLVMINAT. *Chromantij Epis.*



QVEMADMODVM MOENIA CIVITATIBVS: SIC ANIMI MENS PER DISCIPLINAM EXCVLTA DECVS ET MVNIMENTVM PRÆSTAT. *Democr.*

ELOGIVM.



ALTERVM GENS MONTIA
P E T R V M
SED ALIO FVLGENS LVMINE SIDVS
OSTENTAT.
ILLE MELITENSIS MILITIÆ IMPERATOR MAXIMVS
PRO CHRISTIANO VEXILLO DEVOVIT CAPVT;
DEVOTIONIS IPSE VEXILLVM EXPLICANS:
HIC BRIXIENSI SACERDOTIO CLARVS
SACERDOTII SPLENDOREM, ET SACRAM ROM. IMPERII MAIESTATEM
SVO ILLVSTRAVIT INGENIO.
DEBET VTRIVSQ. PETRI PIIS MANIBVS VNIVERSA CHRISTI RESP.
VNIVS ARMIS ET FERRO: SCRIPTIS, ET STYLO ALTERIVS
ACERRIME PROPVGNATA.
VIVENT SANE, ÆTERNVMQ. IN ADMIRANTIVM OCVLIS VIVENT
TROPHÆA MELITENSIA, MONVMENTA BRIXIENSIA
CÆSARIANIS AQVILIS, ROMANIS CLAVIBVS
DIGNISSIMA.
QVOT TIBI, C Æ S A R, EX GENTE
IMPERII AVSPICIA?
ALTER EX PIETATE P E T R V S, EX ERVDITIONE ALTER
OMINANTES,
T E
IN VTROQ. C Æ S A R E M PRÆDICANT,
EX VTROQ. P E T R V M PRÆDICVNT.

SYM-

SYMBOLVM.

Montosa, & plana magnis operta niuibus: in queis dispositi lapides indices viæ. Id in Noruegia visitur, alijsq; passim oris Septentrionalibus.



PETRVS MONTIVS EPISCOPVS BRIXIEN. VIR DISERTISS.
AVTHOR OPERVM
DE CONCILIIS GENERALIBVS, POTESTATE ROM. PONTIFICIS,
CARDINALITIA DIGNITATE,
AC ORIGINE, ET POTESTATE IMPERATORIA.

EPIGRAMMA

CVM ALLVSIONE AD CÆSAREM NEPOTEM ARCHIEPISCOPVM.

Hic docto præcepta sacris dat cœtibus ore:
Pontificis Latij iura suprema docet.
Explicat Ausonij maiestatemq; Senatus:
Cæsaris & quæ sint sceptra verenda, monet.
Qualis hic est, tantos Proceres qui commonet Orbis?
Maiore è tali quantus at iste Nepos?

AD

AD
PETRVM MONTIVM EPISCOPVM BRIXIEN.
SCRIPTOREM ERVDITISSIMVM.

HEXASTICHON.

Alma parens, altrixq́ virùm gens Montia, alumnum
Te meritò iactat, Petre, ſuperba ſuum.
Cui ſpatium licet exiguum virtutis iniqua
Fors dederit, maius poſt fera fata paras.
Perge, Heros, proferre citò monumenta ſagacis
Ingenij: Fati, nomine, victor eris.

AD EVNDEM ALIVD.

CVM ALLVS.

AD SCRIPTA DE PONTIFICIA, ET CÆSAREA POTESTATE.

Tanta tibi docta laus eſt, & gloria frontis,
Quantam; qua fulges, Inſula ſacra probat.
Te tamen & maior moliris maxima chartis
Tradere, vbi Cæſar, Petrus & ipſe legat.
Brixia (macte) tibi fuit hactenus vna Theatrum:
Inde Theatralis machina Mundus erit.

DE EODEM ALIVD
CVM ALLVSIONE AD SCRIPTA PONTIFICIA, ET CÆSAREA
ET AVSPICIO
AD CÆSAREM MONTIVM.

Ioniade Petro Terræ, Cælique potenti
Claues Ars geminas relligioſa dedit.
Petro ſed noſtro geminum Ius ritè docenti
Claues cur geminas grata Minerua neget?
Sed quas Ius Petro danti ſors Fata negarunt,
Fatorum victor, Cæſar, in Vrbe geres.

PETRI MONTII EPISCOPI BRIXIEN.

AVTHORIS OPERVM

DE CONCILIIS GENERALIBVS,

POTESTATE ROM. PONTIFICIS,

CARDINALITIA DIGNITATE,

AC ORIGINE, ET POTESTATE IMPERATORIA

TVMVLVS.

Regna, Mitra, Pilei, Diademata serta maniplis
Hæc fuerint Tumuli, Petre, trophæa tui.
Nam tua quòd laudem cunctis monumenta tulerunt,
laudis ea æterna sunt monumenta tuæ.

EIVSDEM ALIVS.

Hac Petri cineres arcta clauduntur in vrna,
Claudere quem grandis pagina vix potuit.
Organa muta silent: sed enim vox ampla resultat:
Aula Petri hac reboat, Cæsaris Aula tonat.

BENEFICENTIA.

BENEFACERE HOMINI, EST BENEFICIVM MAGNVM APVD DEVM DEPONERE.
S. Io: Chrysost.



MAGNIFICVM ET INGENS, NVLLA QVOD RAPIAT DIES, PRODESSE MISERIS: SVPPLICES FIDO LARE PROTEGERE. *Sen. Trag.*

ELOGIVM.



NVLLA GENTILIVM HEROVM EFFIGIES
MERITO MAIORE, QVAM TVA
IN HOC MONTIANO THEATRO SPECTATVR
HIERONYME MONTIE SENATOR AMPLISSIME
BENEFICENTIÆ LAVDE INTER MAIORES LONGE SPECTABILIS:
QVI NON MODO VIVVS OPERAM LABORANTI PATRIÆ
PRÆSES SANITATIS IMPENDISTI:
SED PERENNASTI MORTVVS IN M. ANTONIO NEPOTE
INVIDIA FATORVM MAIOR,
OPVLENTAM RATVS FORTVNAM, OPEM ALIIS FERRE
HÆREDITARIAM POSTERIS TRANSMISISTI,
NE DE TE VNQVAM SILERET POSTERITAS,
QVEM NVNQVAM INTERPELLATA IN POSTERIS OFFICIA
PRÆDICARENT AVTHOREM.
DEBET GRATIAM EPIDIMIÆ PATRIA,
QVOD CIVI BENEFICENTISSIMO CAMPVM APERVIT
INCOMMODIS MVLTO MINORIBVS AFFECTA, QVAM COMMODIS.
SED ET TRANQVILLIS TEMPORIBVS
PLENO DEFLVXERE ALVEO TVA BENEFICIA.
HORVM ID MAXIMVM, QVOD
CÆSAREM NEPOTEM
PATREM RELIQVISTI PATRIÆ
CLEMENTIA CÆSAREM: BENEFICENTIA ALEXANDRVM.

SYM-

SYMBOLVM.

ARua niuibus adoperta.



DE
HIERONYMO MONTIO
SENATORE, ET PRÆSIDE SANITATIS
IN PROV. MEDIOL.
AC DE CÆSARE NEPOTE
ARCHIEPISCOPO MEDIOL.

DISTICH.

Corpora curat Auus: Geniorum est cura Nepoti.
Diuisum Imperium quàm benè Amoris habent?

AD MARCVM ANT. MONTIVM SENATOREM, ET PRÆSIDEM SANITATIS IN PROV. MEDIOL.

DE HIERONYMO AVO SEN. ITEM, ET PRÆS. SAN.

OCTOSTICHON.

Hieronymus cum te specto, mihi, MARCE, videris:
Marcus, cum specto Hieronymumq; tuum;
Fulget vterq; graui conscriptus in ordine Patrum:
Seruanda & fasces Vrbis vterq; gerit.
Dulcibus ambo vouent fatale Penatibus auum:
Prodigus & Patria sacrat vterq; caput.
Cur dicam binos, alio licet ordine saecli?
Vnus diuerso tempore Phœbus adest.

IN IMAGINEM HIERONYMI MONTII PRÆS. SANIT.

HEXAST.

CVM ALLVS. AD AVTHOREM.

Hieronyme, hac ne tui spirans est oris imago?
O cari effigies cara Patris Patria.
Illene iactatis quondam tu Ciuibus vna.
Sidus, tu portus, dulcis & alma quies?
Plaude, io: Per te Ciuis quòd vixerit olim,
En vt per Ciuem tu rediuiuus ades.

AD

AD HIERONYMVM MONTIVM ET CÆSAREM NEPOTEM SENN. ET PRÆSS. SANITATIS.

HEXAST.

Quidni vos, Montæ carissima pignora gentis,
Insolitis plaudat nostra Camœna modis?
Difficili patriam seruastis tempore sedem:
Territa sunt vestro Fata supercilio.
Si redeant antiqua, vos quæ sæcla serebant
Sideribus: trinus Phœbus in Axe foret.

AD EVNDEM CVM ALLVSIONE AD CÆSAREM ALIVD.

Defueras Laribus fato sublatus acerbo
Hieronyme: Heu tecum defueratq; salus.
Sed Patriam miseratus ades reuocatus ad auras,
Inque tuo viuus iura nepote foues.
Vnum quis toto Phœnicem tollat ab Orbe?
Ecce Nepos viuit, qui modò vixit Auus.

HIERONYMI MONTII TVMVLVS.

Hieronymi Montij hic Tumulus: Quem morte peremptum
Inuida fata iubent, inclyta facta vetant.

CHA-

CHARITAS.

OMNIVM VIRTVTVM OPIFEX CHARITAS, CVIVS NATVRA SATIETATEM NESCIT.
S. Io: Chrysost.



PIETATIS IN PATRIAM TANTA VIS EST, VT ALIQVI SALVTIS SVÆ IMPENDIO TESTATI SINT. *Valer. Max.*

ELO-

ELOGIVM.



EPICEDIA TIBI PANGIMVS
CÆSAR MONTIE
DVM FRATRI DESIDERATISSIMO
MARCO ANTONIO
EPINICIA DECERNIMVS,
PRINCIVALLE PATRE SENATORE
HIERONYMO AVO SENATORE, AC PRÆSIDE SANIT. ORTVS
SENATOR IPSE, ET SANIT. PRÆSES
INCLYTVS PATRIS ÆMVLVS EXTITIT, VICTOR AVI.
DIVERSO EPIDIMIÆ INCENDIO
TRIVMPHAVIT INCOLVMIS AVVS:
NEPOS IN VESTIGIO INVICTVS OCCVBVIT:
EX PHERETRO CVRRVM
EX PYRA TROPHÆVM,
EX TVMVLO TRIVMPHVM
FACIENS.
OCCIDIT MORTALIS VITÆ SIDVS, IN ÆTERNÆ FAMÆ EXORITVRVM
TEMPLO:
VT INTER FERALES CVPRESSOS LONGÆVA VERNET LAVRVS.
PATERE, CÆSAR, REFRICARI
ANTIQVVM, SED ACERBVM ADHVC VVLNVS
PLVS PATRIÆ, QVAM TIBI.
TV FRATREM LECTISS. AMISISTI: PATRIA PATREM OPT.
QVI VITAM PRO IPSIVS PACTVS EST VITA.
HOC VNO IACTVRA MITIOR,
QVOD GERMANAM GERMANO TIBI VIRTVTEM
TRANSMISIT.

SYM-

SYMBOLVM.

ÆThna Mons, radice virente, niuoso dorso, ardente iugo.



DE

CÆSARE MONTIO ARCHIEPISCOPO
ET MARCO ANT. FR. SENAT. DEFVNCTO.

DISTICHON.

Marcus adit Cælum: Terræ moderamina Cæsar.
Orbis vterq; sibi diuidit Imperium.

AD CÆSAREM MONTIVM ARCHIEP.
AVSPICIVM
EX MARCI ANT. FR. OBITV
DISTICH.

Tu, Cæsar; Phœbus: Marcus sed Luna. Peregit
Heu citus ille orbem: tu magè lentus ages.

MAR-

MARCVS ANT. MONTIVS PRÆSES SANITATIS PATRIÆ CHARITATIS TYPVS
TETRASTICHON.

Marce; alios seruans, quòd te citò perdis: iniqua
Fatanè culpabo, an te querar esse tibi?
Vna sed hoc diā mentis fert inclyta Virtus,
Vt te des alijs, te tibi, Marce, neges.

DE CÆSARE MONTIO
ARCHIEPISCOPATVM MEDIOLANENSEM ADEVNTE
ET DE MARCO ANT. SEN. FRATRE.
HEXASTIC.

Augusto Patrum conscriptus in ordine Marcus
Occidit: O saua Parca inimica manus.
Patria tristis adhuc funus deducit acerbum:
Mulceri reditu nec potis ipsa tuo est.
In te quin relegens germanos, Cæsar, honores
Heu sibi visa dolet bis viduata Patre.

DE EODEM CÆSARE
ET MARCO ANTONIO FR. DEFVNCTO.
DODECASTICHON.

Lumina bina micant stellanti in vertice Olympi:
Lumina sunt Cæsar, Marcus, in Vrbe duo.
Bini stant oculi patula sub fronte nitentes:
Sunt Oculi Cæsar, Marcus in Vrbe duo.
Vertitur atq; Polus geminato cardine nixus:
Sunt Cardo Cæsar, Marcus in Vrbe duplex.
Heu orbata vno iam Patria Lumine luget:
Heu oculo tristis Patria capta iacet.
An potis est vno turbata è Cardine stare:
Et sine te fœlix viuere, Marce, diù?
Si tamen est nunc dulce tui meminisse: quid esset
Præsentis rosea, Montie, luce frui?

MAR-

MARCVS ANTONIVS MONTIVS
PRÆSES SANITATIS
GRASSANTE PESTE DESIDERATVR.

EPIGRAMMA.

Funereas tota dum debacchatur in Vrbe
Effundens strages, faucibus atra lues:
Fascibus instructus summis ius dicit in agra
Corpora, solicitus Marcus amore Laris.
Cum strictam aspiciens demitti ex æthere falcem,
Inuisi vt sontes crimina fœda luant:
Me simul ah (clamat) iustissime corripe vindex,
En Reus, & Iudex factus vterq; reus.

DE EODEM
HENDECASSYLLABVM

Marcus gloria nobilis parentum,
Marcus lux Patriæ nitens honestæ,
Marcus fax Equitum ordinis coruscans,
Marcus Maiugenæ potens alumnus,
Marcus melliloqua quem fouet Suada,
Marcus voce Tyrinthia potitus,
Marcus Pieridum sodalis arctus,
Marcus præsidium, decusq; Iuris,
Marcus patritij iubar Senatus,
Marcus cura Deum, laborq; solers.
Marcus cur ità raptus est repente?
Marcus deliciæ (heu) dolorq; Ciuis.

✤✤✤

VIGILANTIA.

PASTOR ADIVNGIT NOCTES DIEBVS, ET TOTVM SIBI TEMPVS DENEGAT DORMIENDI: NE QVA LVPIS, SVFFRAGANTE SOMNO, GRASSANDI IN GREGEM PRÆBEATVR OCCASIO. *S. Petri Chrysol.*



NON VOTIS, AVT PRECIBVS MVLIEBRIBVS AVXILIA DEORVM PARANTVR. VIGILANDO, AGENDO, BENE CONSVLENDO PROSPERA OMNIA CEDVNT. *Cato. Vticen.*



AGNOSCE PATREM PATRIA
AGNOSCE
EXCELSI ORIS MAIESTATEM
ROSEI VVLTVS DECOREM
SERENÆ FRONTIS CLEMENTIAM.
FEDERICVS BORROMÆVS HIC EST
DESIDERATISSIMVS PRÆSVL
FATO FVNCTVS ET SVPERSTES,
EXTINCTVS, ET VIGIL,
RECEPTVS CAELIS, NEC TERRIS EREPTVS,
NOMINE PRÆSENS, ET NVMINE.
ABIIT ENIM, NON OBIIT,
ET INTER SOPOREM FVNERIS
PASTOR OPTIMVS ADHVC AGIT EXCVBIAS.
CÆLORVM ALTA PETENS, IN MONTEM DEDVXIT GREGEM
QVO PROPIVS TVERETVR, ET PASCERET.
POLLVX OCCIDENS EXCITAVIT CASTOREM
ET BONO ROMÆO CÆSAREM IPSVM
SVFFECTVM VOLVIT.
MACTE PATRIA:
FEDERICVS TVVS REDIVIVVS ADEST
TALEM TIBI PRÆSVLEM, TALEM SIBI SVCCESSOREM
GRATVLATVRVS.

SYM-

SYMBOLVM.

TEmplum Vestæ ignem in Ara accensum exhibens de nocte Cælo stellis micante.



VIGILANTIA
FEDERICI BORROMÆI CARD. ET
ARCHIEPISCOPI MEDIOL.
IN CÆSARE MONTIO SVCCESSORE.

HEXASTICH.

Vita cadis, lux nostra cadis, FEDERICE, tuisq;
Luminibus clausis Patria cæca iacet.
Ecqua, nisi in MONTO, fuerat spes certa superstes:
In MONTO miseri (ciuis honore sui?
Dum vigil astra petis, niteas vt luce perenni,
Nos iuuat ex isto cernere Monte iubar.

FEDERICI BORROMÆI
CARD. ET ARCHIEPISCOPI MEDIOL.
VIGILANTIA
EX TEMPLIS, AC PIIS ÆDIBVS
EXCITATIS.

HEXASTICH.

Cur, FEDERICE, putem fato cogente, saporem
Lumina lethaeum corripuisse tua?
Aspice, quot vigiles tollantur ad æthera moles:
Æmula siderei quot monumenta poli:
Si duo Parca premit tibi lumina, mille recludis:
Dumq; putat cæcum, peruigil Argus ades.

AD
FEDERICVM BORROM. CARD. ET
ARCHIEPISCOPVM MEDIOLANEN.
DE CÆSARE MONTIO SVCCESSORE.

HEXASTICH.

Lethali cum stricta gelu tua membra iacerent,
Tollebat querulos Patria in æthra modos.
Ast vbi suspexit suffectū in munere MONTVM:
Abstersit madidis ægra fluenta genis.
Cur gemat? ecce tuos in Montum effundis honores:
Hoc vigil, hoc fælix viuere monte potes.

AD

AD
CÆSAREM MONTIVM CARD.
FEDERICI BORROM. IN ARCHIEPISCOPATV
MEDIOLANENSI
SVCCESSOREM MERITISS.

DISTICH.

CÆSAR adis: abiens cedit FEDERICVS honores:
Cum paribus pangunt fœdera ritè pares.

AD
FEDERICVM BORROM. CARD.
ET ARCHIEPISCOPVM
VIGILANTISSIMVM
DE CÆSARE MONTIO SVCCESSORE

DISTICHON.

Te quoquè post fatum, vigilem, Federice, stupebo:
Vrbem quòd patriam Monte locare scias.

AD EVNDEM
CVM ALLVSIONE AD CÆSAREM MONTIVM

HEXASTICH.

Heù facinus: Patrem Patriæ petit inuida Clotho:
Et miseris raptum te, FEDERICE, secat.
Ergonè, quæ vigili semper patuere labore,
Claudi nunc subitò lumina Parca iubet?
O mea tu saltem redeas lux fulgida, MONTE,
Tu subeas Pollux: Castor ab axe cadit.

Clausulam fecere Theatro duo Elogia, cum Emblemate, laudes gentilium Montiorum simul & Cæsaris perstringentia.

QVÆ
LOCO, ÆVO, PERSONIS
DISTRACTA
HEROICARVM VIRTVTVM INSIGNIA
MORTALIVM ADMIRATIONEM
HABVERE:
TV PRINCEPS INCLYTE
IN TE VNVM COLLIGENS
SVB VNVM OCVLORVM OBTVTVM PONIS
VNIVERSA:
VT ÆTAS NOSTRA
INSTAR SE ESSE ÆTATVM OMNIVM
GLORIETVR,
QVÆ
OMNIVM ÆTATVM ADMIRATIONEM
IN TE VNO SVSPICIENDO
COMPLECTITVR.

✠✠✠✠✠

EMBLEMA.

EQuus Troianus latere adaperto, & vacuo.



Non temerè expandit vacuum latus improba moles,
Diruta quam ſenſit milite Troia grauem.
Ingenio Heroas claros, Martiſq; Triumphis,
Murice & inſignes Gens tua fœta tulit.
Inſtar Montis Equum miratur Teucer anheli:
Ecce hic Mons, Teucri tollitur inſtar Equi.
Sed patula expellit, quos pertulit hactenus aluo:
Vnus tu potis es, MONTE, replere ſinum.

IMMORTALITATI
MONTIÆ FAMILIÆ
TER MAXIMÆ, CLARISSIMÆ, FLORENTISSIMÆ
HEROVM PARENTIS FOECVNDISSIMÆ
SENATORVM, EQVITVM, IMPERATORVM, ANTISTITVM
PRIMÆ NOTÆ, ATQ. NOMINIS
ALTRICIS INCLYTÆ.
QVÆ
POSTQVAM IN SERIE TEMPORVM IMMEMORABILI
INTER FASCES, CHLAMYDES, INFVLAS, PVRPVRAS, REGNA
NVNQVAM GENTILES SVOS NON AGNOVIT:
SACROS, PROFANOSQ. MAGISTRATVS SVMMIS VIRIS ADIVVIT:
REGIA CONSILIA, RELIGIOSOS ORDINES,
ROMANVM SENATVM
MAGNIS CAPITIBVS AVXIT:
EXERCITVS FLORENTISSIMOS TRIBVNIS INSTRVXIT,
IMPERATORIBVS MVNIVIT:
HISTORIAS OMNIVM NATIONVM COMPLEVIT VICTORIIS
PROVINCIAS TRIVMPHIS
ORBEM FAMA, ATQ. NOMINE:
NOSTRO DENIQ. SÆCVLO
CÆSAREM MAGNVM
TVLIT
NVNTIVM, PATRIARCHAM,
CARDINALEM, ARCHIEPISCOPVM,
IN QVATERNIS CÆSAREM
DIGNVM FAMILIÆ SVCCESSOREM,
AVITÆ GLORIÆ HÆREDEM INCLYTVM
AMPLIFICATOREM GLORIOSISSIMVM:
ORDO
CLERICORVM REGVLARIVM S. PAVLI
TANTÆ GENTIS ORNAMENTA SVSPICIENS,
TANTI PRINCIPIS DIGNATVS CONSPECTV
ADMIRATIONIS SIMVL, AC DEVOTIONIS
TESTIMONIVM HOC
P.

Fortunata Arbor, sæclis firmata vetustis
Ramis plena omnis tellus est: fructibus auum
Fructum nunc omnis tellus miratur, & auum.

CORO-

CORONIS

THEATRI

TEMPORANEI

SEV

AVSPICIA

FVTVRI

PONTIFICATVS

EMINENTISSIMO

CAESARI

MONTIO

CARDINALI

PATRITIO

MEDIOL.

✠✠✠

CAESARI
MONTIO
MEDIOLANENSI
EX AVO, PATRE, FRATRE
PATRITIO:
APOSTOLICÆ SEDIS TERTIVM NVNTIO
PATRIARCHATV,
ARCHIEPISCOPATV,
ROM. PVRPVRA
IN TRIBVS VNO
IN VNO TRIBVS
INSIGNIBVS FVLGENTI:
HEROI TER MAXIMO
ÆMVLA VIRTVTIS FORTVNA
ARRHAM SE OBTVLISSE HONORIS TRIPLICIS
NON EXOLVISSE DEBITVM
TESTATVR.

EN-

EMBLEMA.

DVo Templa Virtutis, & Honoris vno aditu patentia,
Hęc à Marcello Conſ. Romę olim excitata viſebantur.



Romulidum constructa lugis, contermina muris
Bina petunt ſummum Templa ſuperba polum.
Hic Virtus, ibi Honor, duo Numina iuncta coluntur:
Vnius eſt limen limen at alterius.
Nec potis eſt quiſquam æterni penetralia Honoris
Quærere, Virtutis ni premat antè fores.
Iam tibi tota patet Virtutis ianua, CÆSAR:
Factaq;, Diuorum Templa, THEATRA tui.
Ergò (patent poſtes) Templo ſuccede propinquo:
Te manet Orbis onus, te manet Vrbis honos.

ALIVD

ALIVD.

PHœbus quadrigis rubris ad Cæli fastigium tendens.



Cynthius, vt rubris vectus super astra quadrigis
Vrget iter, summo firmet vt axe gradum:
Sic celer ad Petri culmen vestigia tendis
CÆSAR, cui cumulat Purpura Sacra iubar.
Aspice consimili gentiles murice claros
Quatuor: HIS VEHERIS Sol velut actus equis.

ALLVSIO AD NOMEN PROPRIVM, ET GENTILE
HEXASTICH.

Tu Cæsar, Tu Mons. fælix ô nominis omen:
Sidere non poteras lucidiore dari.
Si Cæsar, totis victor dominabere terris:
Si Mons, pertinges sidera celsa iugo.
I, Cæsar: dabit Vrbs solium, modereris vt Orbem:
I, Mons: te septem collibus ipsa colet.

VATI-

VATICINIVM EX VIRGILIO
DE IVLIO III. MONTIO PONT. MAX.
ET CÆSARE GENTILI

IVLIVS è celsa nascetur origine MONTA,
Imperium Cælo, famam qui terminet æuo:
CÆSARI & emeritus transmittet iura nepoti,
Ve redeant iuncto Saturnia nomine regna.

AD CÆSAREM MONTIVM
ARCHIEPISCOPVM MEDIOLANENSEM.
OCTOSTICHON.

Viue diù: Ne viue diù, clarissime CÆSAR.
Tu, nisi Cæsar obis, non oriere Petrus.
Cæsar obi citò: Non citò obi, carissime CÆSAR.
Ah serus Patriæ Cæsar adesto tuæ.
Quid precer? Vt viuas, moriaris an? hæreo CÆSAR:
Clara tibi mors est, caraq; vita tuis.
Eia precor, nobis obeas, oriaris vt Vrbi:
Mors tibi, Cæsar, erit viuere: vita mori.

DISTICHON
CVM ALLVSIONE
AD NVNTIATVRAM,
PATRIARCHATVM,
ET PVRPVRAM.

LILIA Ver VIOLIS nunc miscet: serta ROSARVM
Nunc legit, vt fundat LILIA mixta ROSIS.

ALIVD
CVM ALLVSIONE AD PATRIARCHATVM
IN PVRPVRAM COMMVTATVM.

LILIA nunc dat Flora: ROSAS nunc, LILIA tollens.
Prodiga mox reddet LILIA iuncta ROSIS.

EMBLEMA.

FErculum Salomonis Regis descriptum in Canticis Canticorum.



Aspice regali splendentia Fercula sumptu:
Fercula munifico Iesside digna Duce.
Surgit opus Cedro: Argentum vestitq; columnas:
Aurum puluinar: Purpura rubra gradum.
Hùc subit, ascensum Princeps calcansq; superbus
Purpureum, Regno iura daturus adit.
Te manet hoc Solium, CÆSAR, modereris vt Orbem:
Ecce tibi vt sternit Purpura læta gradum.

TETRASTICHON.

Vrbes esse suum septem rixantur Homerum:
Omnis at Vrbs Orbis te proca, MONTE, suum.
Vna tamen victrix existet Roma: triumphum
Inter & Vrbs Vrbes inclyta de Orbe feret.

VRBA-

VRBANVS VIII.

CÆSAREM MONTIVM CARDINALEM, IN PATRIAM CVM ARCHIEPISCOPATV PROFICISCENTEM ALLOQVITVR.

ELEGIA.

I Patrios, CÆSAR, resalutaturus amores,
Aurea complexu quos fouet Insubria.
I, nitido quamuis orbetur lumine Roma,
Et sine te iaceat pignore mæsta suo.
I tua tecta celer viduata reuisere: caro
Respiretq; diu Patria Patre carens.
Fausta dies, Laribus quæ te reuocabit amicis,
Vrbis & antiquæ limen adire dabit.
Non ità ouans, spolijs oneratus Cæsar opimis,
Expectata ferens sacra Trophæa Ioui,
Eminùs auratis Capitolia celsa quadrigis
Vt vidit, niueos solicitauit equos.
Cùm triuijs effusa vagis, effusa per agros
Turba, Triumphe canens, ingeminaret Io.
Victrices mirata oleas, cæsisq; Britannis
Aurea ferratis fixa trophæa iugis:
Imposita & plaustris ingentia pondera, gemmas
Torquibus intextas, quas Acesinus alit:
Praxiteles, parios dia quos arte poliuit,
Duraq; Phidiaca marmora sculpta manu.
Vndiq; circunstat, celeres comitata quadrigas,
Ducit & ad celsi culmina Montis ouans.
Te quoq; cùm dabitur venientem inducere nostris
Mœnibus, Insubriæ pignus habere tuæ:
Roma sua plaudet rediuiuo Cæsare; fasces
Subijcietq; tibi post mea fata suos.
Nunc liceat, sacros modicùm lustrare Penates,
Mæstis vt redeat te redeunte dies.
Vtq; redux puppim scandes, clauumq; tenebis,
Visere nos, (dices) Patria nostra, tuum est.

Hæc quoq; Italica Musa suggessit.

ALL' EMINENTISSIMO
SIG. CARDINALE

C E S A R E
M O N T I

A V G V R I O
DEL SOMMO
PONTIFICATO.

MADRIALE.

Veggio di Vatican le cime sante
Quasi di nouo Atlante
Ceder' il peso, di cui vanno onuste,
A le tue spalle fide
CESAR, quasi ad Alcide:
E con forze robuste,
Schernendo Alcide, e'l Mauritanio Monte.
Già vedo, Eminentissimo te MONTE
Porger del tuo gran merto preparati
Gl' homeri porporati:
Ch'à tua virtù proportionato e'l pondo
De la mole del Mondo.

Sed & eodem impetu hæc exciderunt auspicalia, laudatoria.

CESA-

CESARE MONTI
VIENE CREATO NVNTIO, PATRIARCA, CARDINALE, ED ARCIVESCOVO DI MILANO.

Quindi si augura la riforma de' costumi altrui ed il Sommo Pontificato.

SONETTO.

Son picciol Monti Olimpo, e Pelio, ed Ossa,
MONTE, in paraggio à tue Eminenze altere:
Mentre ti auanzi a sormontar le Sfere,
Ond' ebbe già Tifeo l'orrida scossa.
Tua virtù quasi Monti vn l'altro adossa
Inclita nobiltà, nobil sapere,
E saggio zelo in gigantee maniere:
Quindi guerra i tuoi pregi al Cielo han mossa.
E'n segno di Trionfo indi riporti
E lauree, e Manti, e Troni, e Mitre, e Bissi,
Porpore, e gemme, e scettri, e ricche spoglie.
Hai vinto il Ciel? Hor ben cadranno absorti
Sotto te i Briarei ne gl'ignei abissi,
E i Rè del Mondo adoreran tue soglie.

ALL' EMINENTISSIMO
CESARE MONTI
CARDINALE,
ED ARCIVESCOVO DI MILANO.

✠✠✠

CANZONETTA.

Le marauiglie di Natura, ò MONTE,
Con amirabil proua
La Gratia in te rinoua:
Ch'ogni stupendo, ogni famoso Monte
Co' pregi tuoi sormonte.
Sù i Monti ritrouò l'Arca riposo
Dal diluuio de l'acque:
In te DIO si compiacque
Posar la Chiesa sua, Monte amoroso,
Dal zelo suo sdegnoso.
Scoppiano fiamme da Montagna Etnea
Sopra l'ampio terreno:
Tu di tua Chiesa al seno
Sgorghi ardori miglior, che già non fea
Gioue ad Acrisionea.
Cadon frequenti, e stabili le neui
De i Monti a l'alte cime:
Tale, ò MONTE sublime,
Del Cielo i doni, a cui l'alma solleui,
Purissimi riceui.

Ne

Ne le neui de i Monti il Sol ferendo
Produce auree miniere:
DIO co' suoi raggi fere
MONTE il tuo cuor, tesoro in lui stupendo
D'alto Zel producendo.
Ride l'amenità più bella, e dolce
Ne i Monti più riposti:
In te son, MONTE, ascosti
I piaceri di DIO, che'l tuo cor molce,
E la tua Chiesa folce.
Scorron da i Monti ad inaffiar' il piano
Limpide, e dolci vene:
Da te dolci onde amene
Scorron a secondar' il pett' humano
Di tuo Saper sourano.
Dal terren basso à l'aer puro, e immoto
S'alzan Monti inaccessi:
Tu con santi progressi
T' alzi al puro di DIO sour' ogni moto,
A i cor terreni ignoto.
A l'opre d'Ercol fur due Monti al fine
Confinanti colonne:
Vint' Ercole or vedronne:
Ch' è vn Monte sol con l'opre sue Diuine
D' ogni valor confine.

His etiam Græca musa prouocata sic lusit.

ΠΡΟΣ ΤΟΝ

ΚΑΙΣΑΡΑ ΜΟΝΤΙΟΝ

ΠΡΟΑΓΓΕΛΜΑ

ΑΡΧΙΕΡΩΣΤΝΗΣ ΡΩΜΑΙΑΣ

ΕΞ ΟΝΟΜΑΤΟΣ ΓΕΝΕΟΣ.

ΔΙΣΤΙΧΟΝ.

ΜΟΝΤΙΟΝ Ἰταλίη, ΠΕΤΡΟΝ δ' Ἑλλὰς σ' ὀνομάζει.
ΠΕΤΡΟΝ ὅμως σὲ καλεῖ καὶ ποτὶ Ἰταλίη.

C.VI

ALLVDIT LATINA MVSA

ALIO DISTICHO

AD CAESAREM.

Ausonius Montem, Petrum dat sermo Pelasgus:
Montem scande: Petrum mox dabit Ausonius.

ΠΡΟΣΗΜΑΙΝΕΤΑΙ

Ο ΤΗΣ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ

ΚΑΙΣΑΡ ΜΟΝΤΙΟΣ

ΕΚ ΤΟΥ

ΑΥΤΟΝ ΤΡΙΣ ΝΟΥΓΚΙΟΝ ΓΕΓΟΝΕΝΑΙ.

ΤΕΤΡΑΣΤΙΧΟΝ.

Τρὶς μάκαρες λαοὶ, τρὶς οἱ τὸν ΜΟΝΤΙΟΝ εἶδον
Νούγκιον, Ἑσπερίης, Παρθενόπης τε νέας.
Τρὶς μάκαρες γε βροτοὶ, καὶ τετράκις, ὁππότ' ἐκεῖνον
Τρίπλοος ὁ στέφανος στήσεται ἐν κεφαλῇ.

APPENDIX
AD THEATRVM
TEMPORANEVM.

DVplex fuit Patribus Alexandrinis votum erga Eminentiſs. MONTIVM: vt veterem teſtarentur obſeruantiam, vt Antiſtitem colerent Sacrorum, ac Literarum. Siquidem & Templum Paroeciæ ſedes, & adiacens Gymnaſium Arcimboldium ex inſtitutione Archiepiſcopum Mediolanenſem agnoſcunt Principem, Tutelarem. Dicandum itàq; vtriuſq; nomine donarium. Ergo ius Parœciæ in Templo conſtitit: tutelam Gymnaſij alia Theatralis pompa monſtrauit. Ibi quidem ſacris in Ædibus ſacræ ornatæ ſunt Dignitates: Hîc in palæſtra literaria ipſa explicata literatura eſt, nec ea ſanè à Religione diſtracta: quandò hoc geminum decus in CÆSARE noſtro congrediens, quandam ætati noſtræ præbuit miraculi ſpeciem. Quare in exitu Templi, quâ patet aditus in Gymnaſium, ſurgebat Arcus, vbi & ſignum Arcimboldij Fundatoris, & inſignia Montij Cardinalis cum dedicatione ad Virgilianum diſtichon alludente ſpectabantur. Huius id erat ſchema.

†

LIMINE


CÆSARI MONTIO
CARDINALI, ET
ARCHIEP.
SACRORVM ET
LITERARVM
ANTISTITI.
LIMINE LVSTRATO TEMPLI, SVCCEDE LYCEO.
IMPERIVM, CÆSAR, RITE VTRIVSQ. TENES.
IO. BAP.
ARCIMBOL
DIVS
FVNDATOR
GYMNASII
ALEXAN.
Blancus fec.



Arcum ingressis aperiebatur vestibulum duplici Elogio, & epigrammate ornatum. Videlicet,

ELOGIVM.

ANGVSTVM
AVGVSTVS HEROS THEATRVM
SVBIS
CÆSAR MONTIE
FAMILIA, VIRTVTE, DIGNITATE
EMINENTISSIME.
TE ENIM AVITIS, AC PROPRIIS INSIGNIBVS
TRIVMPHANTEM
VRBS ROMA EXCEPIT:
REGNANTEM
ORBIS EXCIPIET.
OCCVPASTI TERRARVM AMBITVM
SPARSIS LONGE, LATEQVE
TROPHÆIS GLORIÆ:
MOX CÆLORVM FASTIGIVM
AMPLITVDINE CONTINGES
BEATITVDINE EXÆQVABIS.

ALTE-

QVOD
VIRTVTVM TVARVM
INTERMINATAM MAGNITVDINEM
EXIGVO CONCLVDI THEATRO
VIDES
CÆSAR MONTIE
INIQVO NE FERTO ANIMO,
QVOD ÆQVA FIT MENTE.
VEL IPSAM
CÆLORVM, TERRARVMQ; IMMENSITATEM
SANCTISSIMAM NATVRÆ MOLEM
QVOD IN VNIVS DODRANTIS ANGVSTIAS
PICTOR COGIT,
SOLERTIÆ VERTITVR, NON AVDACIÆ:
MIRACVLO, NON PIACVLO.
ITA
QVO ANGVSTIVS EST SPATIVM,
EO REDDITVR OPVS
AVGVSTIVS.

EPI-

EPIGRAMMA I.

Gloria Romani, CÆSAR, lux alma Senatus,
Præsidium Insubrici, dulce decusq; gregis:
Limine quòd modico excipiat te curta supellex,
Da veniam: tenues viribus ista decent.
Exurgant alibi suffulta theatra columnis,
Et pateant aliis atria liminibus.
Nos iuuat exiguas vires æquasse: iuuatq;
Æquari meritis non potuisse tuis.

EPIGR. II.

Ingredere, ò Cæsar, plaudentis tecta Lycei:
Pectora sidereo, Cæsar, ab ore beas.
Ingredere, Antistes, Cælum, quod lumina pandit
Ingenij: Antistes, tu magè clara facis.
Ingredere, ò Princeps, Orbem, in quo Palladis artes
Florescunt: Princeps, vox tua dulcis alit.
Si domus hæc Cælum est, si Orbis, si Pallada seruat:
Tu Sidus, Phœbus, Iuppiter almus ades.

Adiecta sunt in Zoilum carmina, vel parerga quædam literariæ pompæ solennia.

IN ZOILVM
CVM ALLVSIONE AD PVRPVRAM CÆSARIS MONTII CARD.

Esto procul, liuido qui frendis, Zoile, dente;
Scriptis ipse meis Zoilus esse volo.
Alta cano (fateor) quibus impar nostra Camœna est:
Sed, quod res vincunt carmina nostra, iuuat.
At mea si petulans suffundes ora pudore,
Iste pudor fuerit Purpura grata mihi.
Perge liuor: perge, ore fero lacerare: Quid hæres?
Impar, sic fiet par, Mea musa Viro.

IN ZOILVM ALIVD
CVM ALLVSIONE AD STEMMA CÆSARIS MONTII.

Sidera pertingunt, quos præfers stemmate, Montes:
Sidera syncero, MONTE, labore petis.
Nec metuet, fictis quicunque huc tendet in alis?
Dædalus ascendens, Icarus inde cadet.

Frontem verò Gymnasij, supra fores, duplex ornabat carmen.

CÆSARI MONTIO MEDIOLANENSI ROMANAM PVRPVRAM IN PATRIAM REFERENTI ACADEMIA INFOCATORVM GRATVLATVR.

DISTICH.

Salue Phœbe redux, roseo radiate capillo
Nox te abeunte fuit, te redeunte dies.

EIDEM ACADEMIAM SVBEVNTI AVSPICIVM SVMMI PONTIFICATVS

TETRASTICHON.

Luminibus dignata tuis hæc Aula triumphat,
Purpurei ò cœtus inclyte MONTE iubar.
Hanc lubet ergo diem rubro signare lapillo:
Purpura cùm REGNVM fecerit, albus adest.

Succedebat Vestibulo Atrium, vario circùm Emblemate, Carmine, Elogio distinctum, ad exprimendam Academicorum lætitiam ex aduentu tanti Mecænatis conceptam.

EMBLEMA.

PAstores dimissis gregibus sub opaca montis caute declinantes æstum, cantilenisq; mulcentes.



FISTVLA
QVAM CHORVS INGREDIENTI
CÆSARI MONTIO
CONCINVIT.

CÆSARIS egregias recinat mea Fistula laudes,
Aulaquè Parnassi reddat amica sonum.
Profert Ausonios gens tua Consules:
Mentem dederunt sidera viuidam:
Tempora cingit opaca laurus;
Pacis fœdera conseris:
Murice clarus ades:
Effulges Trabea:
Clarus Apollo es.

ELO-

EMINEBAS
CAESAR
FAMILIAE, VIRTVTISQ. DIGNITATE
INTER MVNICIPES TVOS,
INTER QVOS ET
MONTII
NOMEN
EMINENTISSIMVM
PRAEFEREBAS.
VTQ. AMPLIVS
EMINERES
EMINENTISSIMI
ORDINIS PVRPVRA
TE ADORNAVIT.
HOC PARVM RATVS
EMINERE
TIBI IPSE HODIE VOLVISTI,
CVM TANTA
ARCIMBOLDIOS ALVMNOS BENIGNITATE
EMINENTIA TVA
COMPLECTITVR.

EMBLEMA.

Achates gemma apud Pyrrhum Epirotarum Regem.



In nitido (si vera fides) splendebat achate
Numen Apollineum, Pieridumq. chorus.
Sponte, licet modicis spatijs, insignia habebant
Et Deus, & Musæ; propria quisq. suum.
Sed iam naturæ sileant miracula: Maius
Prodigium, CÆSAR, te veniente patet.
Angusto hoc omnis Parnassi turba theatro
Clauditur, haud plectris despoliata suis.
Quid mirum? terras qui complet Numine, Phœbus
Tecta subit: subeat non celer ipse Chorus?

EM.

EMBLEMA.

MEmnonis signum excipiens ore radios orientis Solis.



Non te defixum teneat stupor, inclyte CÆSAR
Arcimbolda tibi quòd ferat Aula melos.
An potis es genijs inferre silentia latis,
Sidus adesse sibi dum Latiale vident?
Ipse vèl è gelido consurgens marmore Memnon
Fertur in Eoo Sole dedisse sonum.

Verba dat elinguis paries, mutusq; profatur:
Voce sonat, sensu gestit, vtroque carens.
Maiora his in te, CÆSAR, portenta cientur,
In quo Maiestas, iunctus Amorquè sedet.
Mutos illa iubet cum horrore silere penates:
Cogit hic in laudes currere sponte tuas.
Maiestate grauem tacitus venerabitur Ordo:
Carminibus facilem tollet ad astra suis.

ALIVD.

Bella coruscanti dis GEMMA includitur auro:
Bellus cæruleo PHOEBVS in Axe micat:
Bellum depictis splendet laquearibus OSTRVM:
Bellus FLOS viridi cespite vernat olens:
Bellaquè per liquidum volitat miniata VOLVCRIS:
Bella replet Templum FAX radiata sacrum.
Bellior in nostro fulges tu, MONTE, lyceo
GEMMA, PHOEBO, OSTRO, FLORE,
VOLVCRE, FACE.

ALIVD.

Reddita post votis multorum oracula Phœbus
Florida Musarum per iuga fessus abit.
Exquirit choreas, & carmina læta sororum:
Nec fidium solitos ebibit aure sonos.
Siccine? sed resonat procul Arcimboldia sedes:
Floridior Musis MONS ibi fortè viret.

ALIVD.

Cæsaris admirans subeuntis lumina Cœtus,
Lassa, inquit, cecinit nostra Camœna nihil.
Vultu sed facili Cæsar, verecundus & ore,
Sat cecinit, dixit, plusquè satis cecinit.
Et Cœtus verum, Cæsar verumq; fatetur:
Suggerit at genijs hoc pudor, illud amor.
Vtraq; sit mihi laus. Si dicere plurima nil est,
Siquè nihil, satis est: sat, mea Musa: Tace.

EMBLEMA.

ORientem Solem auiculæ cantibus ſalutantes.



Aureus è pelago Phœbus quum ſurgit Eoo,
Cæcáq; ſiderea ſtamina luce beat:
Iunguntur pictæ volucres, ductántq; choreas,
Flauicomo vt ſoluant carmina grata Deo.
Sic dum purpureos, Cæſar, das cernere vultus,
Palladia in dulces ſoluitur Aula modos.
Salue (ait) ò roſeum ſidus, quod lumine cuncta
Pingis: picta quoq; hæc, te ſine, ficta forent.

EMBLEMA.

Horologium Sciathericum in muro, expositum Soli.



Luxq., decusq. meum, salue, qui cuncta serenas:
Te sine caligo., te sine, Phœbe, fleo.
Si ferias, celso demittens spicula Olympo,
Non feries vitam, sed mihi dulce feres.
Sed quid ego? nouus effulget iam Phœbus in æde;
Picta nec in muro tempora imago notat.
Ecce nites, Cæsar, Paulinis visus alumnis,
Dum teris ambrosio limina docta pede.
Lumina dant vmbram radiantia Solis ab axe:
Sed tua dat clarum nobilis vmbra iubar.

EPIGRAMMA

CVM ALLVSIONE AD NOMEN FAMILIÆ.

Nulla magis toto Romana Vrbs eminet Orbe:
Nec Vaticano Collis in Vrbe magis.
Omnes' præcelsus Colles supereminet & Mons:
Nec Montes inter Cæsare maior adest.
O nimium dignata domus, tanto Hospite fælix:
Eminet hac Regum nulla superba magis.

ALIVD.

Audit vt insolitis Aulam resonare Camænis
Arcimboldiacam Iuppiter æthre sedens:
Subsistit, Phœbumq; vocans: Cur, Diue, vagantem
Musarum cœtum, dixit, abire sinis?
Subridens Numen: Parce, o Pater Optime, dixit:
Desiluit sacro vertice nulla Soror.
En nouus in terras delapsus ab æthere Phœbus
Aspirat mutis carmina ponderibus.

ALIVD
CVM ALLVSIONE AD NVNTIATVRAS NEAPOLITANAM, ET HISPANICAS AD PATRIARCHATVM, ARCHIEPISCOPATVM, ET PVRPVRAM, CVM AVSPICIO PONTIFICATVS.

Hic eſt Inſubriæ fulgens inſignibus aſtrum:
Hic columen, generis deliciumq́; ſui.
Huius Parthenope mirata eſt mellica voces:
Audiuit nutus Marte verendus Iber.
Huic certat decorare ſacram bina Infula frontem;
Geſtit & ad radios Purpura ſacra nouos.
Hunc ſpolijs ſaturata Orbis, ſaturata triumphis
Inuidet Vrbs; poſcens Cæſarem habere ſuum.
Tantus, io, innuptæ ſuccedit Palladis Ædi:
Efficiturq; Dei, quæ fuit Ara Deæ.

ALIVD.

O qui ſacra teris deuoti limina, (ÆSAR,
Ordinis: & clarum ſpargis ab ore diem:
Aſpice, vt hoſpitium Virtus tibi ſignat Honoris,
Et ceu Sol vmbra te comitante petit.
Qui fugit, hunc ſequitur: nā mox fugit illa ſequētē:
Huc fuge, ne fugiat: quò ſubeatq;, ſubi.

ALIVD.

Nomen, Monte, tuum renuis volitare per auras:
Nec tamen æquanimis grata Camœna sinit.
Audax sed tentans dictis tua tollere facta,
Grandius ecce humeris victa fatetur onus.
O pulchrum belli genus, Ars vbi victa triumphat:
Vincitur, & vincit. Par in vtroque decus.

ALIVD.

Dat, mea quæ celebret, Virtus tua, Montie Musa:
Dat simul, vt grauiter comprimat ora stupens.
Vena inopem diues, sterilem fœcundaquè reddit,
Et cornu largo copia pauperiem.
Solus tanta mihi potis es miracla ciere:
Sat cecinisse puto, dum siluisse volo.

In extremo Atrij prospectu tale occurrebat Elogium.

CAESARI
MONTIO

PATRITIO MEDIOLANENSI
S. R. E. CARDINALI
ARCHIEPISCOPO
ET
PATRI PATRIÆ:
NVNC PRIMVM
ARCIMBOLDIVM GYMNASIVM
INVISENTI
TVTELARI OPTIMO
ACADEMIA INFOCATORVM
TANTI MECOENATIS ASPECTV
GLORIOSA
P.

HINC pandebatur Theatrum, ternas complectens in sinu statuas. Illa Religionem Virginali forma, hæc iuuenili decore Sapientiam, ipsi nubentem, Cæsare Cardinali Antistite referebat; supernè pendente lemmate IN VTROQVE. Occupabantur Theatri intercolumnia Symbolis, super vtriusq; Virtutis coniugatione ludentibus. Sed ad cornua dextrum, læuumq; duo Genij singulas proferebant Odas tabulis incisas, alteram de Pietatis cultu in Cæsare, alteram de literaturę studio, quasi ad earum nuptias celebrandas CAESAREM prouocarent.

DE INGENIO
CÆSARIS MONTII
FLORIDIORE LITERATVRA EXCVLTO.

ODE

O quæ læta toris, Musa, virentibus
Festiuo choreas carmine diuidis:
Vernantes sere flosculos
Dignos MONTII amoribus.
Hic fons Eloquij gurgite vitreo
Emanans latices dat iugè melleos:
Vernantes sere flosculos
Dignos MONTII amoribus.
Hunc plus Pierio de grege deperit
Percussus cithara Phœbus eburnea:
Vernantes sere flosculos
Dignos MONTII amoribus.
Docta Romulidum condere pagina
Victrices calamo nouit adoreas:
Vernantes sere flosculos
Dignos MONTII amoribus.

DE PIETATE IN DEVM

CÆSARIS MONTII

CARD. ET ARCHIEP.

ODE

Cui tu, Virgo Dauidica
E puro genium fuderis Æthere,
Proscriptisquè Sororibus
Tractaris placido stamina pollice
Hunc non Martis ab Alpibus
Importuna cient classica Belgici:
Non Phœbeia carmine
Circe pelliciet, nec Cephali minax
Actæi lituus vagum
Oblitumquè Laris coget ad ardua.
Sed qua liminibus frequens
Sacris digna Deo victima sistitur
Attollet Superis parem,
Et clarum triplici reddet in Infula.
O & Gentis, & Ordinis
CÆSAR, dulce decus, præsidium tui:
O tetris quoquè rupibus
Collature sacras delitias Poli.
Puber vertice sidera
Quòd iam, MONTE, petas, Montij honoris
Sed quòd Gentis honoribus (*est.*
Celsis emineas, die Nepos, tui est.

Sequitur schema Theatri nuptialis: tùm varia pro Epithalamijs argumenta.

ELO-


IN VTROQVE
ΑΜΦΙΣ
ΚΟΣΜΟΣ
TYPVS
OPTIMI PRÆSVLIS
Blancus F. Mediolani.



O MIRVM
SAPIENTIÆ CVM RELIGIONE
CONIVGIVM.
ITA DIVES ERVDITIONE INGENIVM
VT MVSARVM IN SE COLONIAM
VOCET:
ITA PIETATE EXCVLTA MENS,
VT CÆLITVM INVIDIAM
PROVOCET.
SPECTATOR
NE STVPE:
MONTIVS ISTE
PARNASSVS EST
VERTICE DVPLICI IN CÆLVM
CONSVRGENS.

EMBLEMA.

MOns præcelſus, cuius in vertice Sol, & Luna grandiorem præferunt Orbem.



Lampade ſidereus gemina radiatur Olympus:
Fulgurat hac maior, fulgurat illa minor.
Monte tuo ſidens, CÆSAR, duo lumina cerno:
Ingenium hinc, Pietas inde coruſca nitet.
Sol quis erit, ſeu Luna magis dicenda duorum?
Vtrauè maior erit lampas, & vtra minor?
Lumina ſi ſpectem, Soles vtriq; videntur:
Sed niſi ſolus Sol, vnaq; Luna micat.
Ergo Sol præter ſolitum dicatur vterq;,
Nullaq; Luna: Iſtac gloria, MONTE, tua eſt.

EPIGRAMMA.

Dum thalamos docta meditaris, MONTE, Camœna,
Serta inter pacis laurea, tela feris.
En vt Apollinea studiosus quisque fatigat
Fila lyra: Phœbi certat habere decus.
Scilicet hac duri non sunt certamina Martis;
Ista geri placida prælia pace queunt.
Sanguine pugna caret: sunt hi sine cæde triumphi;
Inuisa haud sunt hac, sed magè bella iuuant.

ALIVD.

Te doctum, te Musa pium venerata: Mineruam
Æthere demissam, seu putat esse Numam.
Vtra est laus maior, Cæsar? Pietatis, an Artis?
Alterutra Cæsar, Cæsar vtraque vales.

ΠΕΡΙ ΓΑΜΟΥ

ΣΟΦΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ

ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΜΟΝΤΙΟΥ

ΝΥΜΦΑΓΩΓΟΥΝΤΟΣ

ΤΕΤΡΑΣΤΙΧΟΝ.

ΟΠΠΟΥ ΕΡΩΣ ΜΕΓΑΛΗΣ ΣΟΦΙΑΣ ΤΗΝ ΔΙΑΝ ΕΓΗΜΕΝ
ΕΥΣΕΒΕΙΗΝ (ΔΕΟΜΑΙ) ΤΙΣ ΠΑΡΑΝΥΜΦΟΣ ΕΗΝ;
ΜΟΝΤΙΟΣ, ΑΥΤΟΣ ΥΠΗΡΧΕ ΙΕΡΕΥΣ, ΚΑΙ ΑΝΑΚΤΟΡΟΝ ΑΥΤΟΣ,
ΚΑΙ ΘΑΛΑΜΟΣ Δ' ΑΥΤΟΥ ΣΤΗΘΕΑ Γ' ΑΝΔΡΟΣ ΕΦΥ.

EMBLEMA.

Sol, & Rosa.



Miramurnè Rosam condicere prælia Phœbo?
Iste nitet Cælis: illa renidet humi:
Iste praeest Astris: Floribus illa praeest:
Iste Polo lumen diuidit: illa Solo:
Iste Diem rutilum: Ver beat illa tepens:
Iste Rosa in stellis: Floribus illa Iubar.
Miremur MONTVM Lauro sociasse Tiaram.
Ista Dei Templum: Palladis illa decet:
Ista gerit Sceptrum: sed regit illa Stylum:
Ista decus Crucibus: Frondibus illa parit:
Ista salus Genij est: illa honor Ingenij:
Ista viam Cælis sternit: at illa Choris.
O fœlix CÆSAR Radijs, ò Flore beatus:
Nunquam SOL talis, nec ROSA visa fuit.

EPIGRAMMA.

Binâ micant rutilo Sol, Cynthia lumina Cælo:
Pupilla & facie lucida bina micat:
Bina Aurum, Argentumq; micant tellure metalla:
Vnio, Coralium pignora bina mari.
Bina Deum ò soboles, Hymenæi fœdera pange:
Clarius in toto non erit Axe iubar.
Pange, Deum ò soboles, Hymenæi fœdera: nullum
Par cui par toto coniugum in orbe fuit.

ALIVD.

Fortunata dies, qua limina Palladis intras:
Hac tibi demeritæ conciliatur amor.
Idaliæ Pastor Diuæ connubia quærens
Funereo tradit seq; laresq; rogo.
E tribus Innuptæ sapiens te, MONTE, dicasti,
Floreat vnde salus Orbis, & alma quies.
Fœnora is accepit belli, tu fœdera pacis:
Mitis Cecropiæ fertur Oliua Deæ.
An pacis maiora licet tibi pignora ferre,
Mens vbi docta torum Relligionis amat?

EM-

EMBLEMA.

PSalterium Dauidis Regis cum diademate.



Accipe dulcisonum blando Psalterion ore:
Regia dona libens Purpura respiciat.
Non tardi est digiti fidium concordia: verùm
Artificis doctam poscit habere manum.
Sic quæ componis connubia, MONTE, Deorum,
Principis exquirunt pectora magna viri.
Tartareum haud metuas digito pulsante Tyrannum:
Cùm Scytha tela iacit, vulnera cassa iacent.

CESAR MONTE

FV CONSVLTORE DELLO STATO ECCLESIASTICO, E DEL S. OFFICIO: POI NVNTIO, E PATRIARCA, E FINALMENTE CARDINALE, ET ARCIVESCOVO DI MILANO.

SONETTO I.

SI ALLVDE ALLO SPOSALITIO SIMBOLICO.

Per gl'antichi Imenei, Muse, lasciate
D'accordar plettri, e di temprar' il canto:
E à nuouo MONTE guidi Apollo santo
Di vostro Chorò le carole vsate.
Quì con Religion Nozze beate
Fatt' hà il Sapere. Hor voi cantate il vanto
Di lui, qual Sposo in violato ammanto:
Di lei, qual Sposa in porpore honorate.
Fian Talasso, e Imeneo Zelo, ed Ingegno:
Che di saggie Consulte, e santo Essempio
Accendon Nozzali, e chiare tede.
Quiui d'Honor, non di Giunone è'l Tempio.
Muse, à voi fia tal MONTE amena sede,
Ch'è di Pindo, e Parnaso assai più degno.

CESAR MONTE
DISCENDE DALLA FAMIGLIA DE I VIRGINII ROMANI, DETTI CELIMONTANI, E DA I MARII ROMANI, DETTI MONTANI.

SONETTO II.

***

Cesar, ne' cui grand' Aui il nome appare
Di MONTAN MARII, e di MON-
TAN CELESTI:
Deh dimmi, onde l'origine trahesti,
Da la Terra, dal Ciel, ò pur dal Mare?
Sè tra famiglie in terra illustri, e chiare
T'alzi: quasi MONTANO à noi t'ap-
presti:
Sei MARIO, s'ogni core à stupor desti
Fra'l mare di tue Scienze immense, e rare.
Ti fan celeste, e insiem VIRGINIA prole
Gl'Ostri, i Bissi, le Mitre, il diuin Zelo
E'l Celeste splendor d'almi costumi.
E mouon gara tue EMINENZE sole,
Ch'ergi da Terra in Mar (qual MONTE) al Cielo
Fra i CELESTI, MARINI, e TER-
REN Numi.

BENIGNO, ET VTILISSIMO GOVERNO DELL'EMINENTISSIMO

MONTI

ARCIVESCOVO DI MILANO.

SONETTO III.

Sopra il Sina ſalire al ſommo Nume
S'ad vn ſol lice, e a' danni altrui ribomba
M. ſta a' folgori, e tuoni eterea tromba,
E ſpargon, fiamme in atra nebbia il lume.
S'ogni aquila vi perde al vol le piume,
Strugge i vanni, e la vita ogni colomba:
S'egli è d'huomini, e belue ardore, e tomba:
Tu, MONTE, ogn'alma alletti, auiui, allume.
Di tua tromba faconda è dolce il ſuono,
Di tuo paterno zel vitale è'l lampo,
Sereni i rai de le tue fiamme ſono.
Vengon da te benigne al terren campo
Le leggi: e sè tal'hor ne ſcoppia il tuono,
Vibri folgor d'amore à commun ſcampo.

In hoc theatro acceptus Eminentiſs. Montius, laudatur pro Concione à Daneſio Caſato Patritio Mediolanenſi, egregio alumno Patris Boldonij in Gymnaſio Arcimboldio, ac ipſius Eminentiſsimi propinquo.

DICTIO.

DICTIO.

ITA nos aduentus tuus, Eminentiss. Princeps, nescio qua nouitate prodigij ex inopinato perturbat: vt, cum antè huic Ordini expectatissimus vel mutos parietes animaret ad carmen: ipsa nunc præsentia disertissimo cuiq; repente sensum adimere, ne dum orandi copiam videatur. Videlicet in ore isto maiestatis clementiæq; plenissimo collucere ita suspicimus & auitæ claritatis lumen tantò similius cælestibus sideribus, quantò ijs propinquius in Montibus gentilitijs: & quam hausisti lucem ex diutino Hiberi Solis aspectu: & quos demum effundit vndiq; radios tantis cumulata nominibus sacra Purpura: vt, non vnus quispiam Heros nostræ vrbis indigena huiusce Academiæ angustias subijsse, sed tota penè Insubria, Roma, Hispania suos in te collectos fulgores explicasse dici possit. Verùm in tanta radiantis lucis panegyri gratissimam vmbram dispicimus è Montibus tuis cadentem, Cæsar, quæ non modò à perturbatione nos recreat, sed & Genios inuitat, & dulci quadam vi ad eludendam inclementioris æstus inuidiam rapit. Quid enim ad delicias gratius, ad voluptatem iucundius, quàm in Mecœnatis optatissimi laudationem permittere habenas dictioni? Neq; verò persequuturum me putes vniuersa tua decora, quæ singula valentissimum quodque fatigarent ingenium: neq; ea, quæ fulgent in ista Purpura: ha-

bent enim Orbem vniuersum non tàm spectatorem sui, quàm admiratorem: &, cùm alibi passim, tùm hic in Alexandrino Templo magnificentissimum Theatrum aperuere. Vnum lubet ex omnibus legere, quod geminam habet laudem, eò in te præclarius, quò rarius in alijs: istam dico Eruditionem singularem pari cum Pietate coniunctam, quæ te literatorum Mecœnatem, quæ summum Antistitem inaugurat Sapientiæ. Non equidem subita sunt in Montia gente, virtutum hæc heroicarum insignia. Refert illa id patrimonium maioribus primis acceptum, ac in serie ætatum interminata per manus traditum nepotibus, atque gentilibus, tanto splendore ac cultu, vt exteros quoque de suo augere, ac locupletare facilè potuerit. Testem apello Innocentium clarissimi nominis Cardinalem, qui iam tùm ephebus, à Ioanne Maria Montio Archiepiscopo Sipontino inter familiares adscriptus, eam ingenij laudem, tanti Præsulis institutione est consecutus, vt initiato Ioanne Maria summo Pontifice, quem Iulium Tertiũ proclamarunt, ipse eundem meruerit sacrum Pileũ, quem Ioannes Maria Cardinalis gesserat, atque in Montiam familiam, accepto nomine ac stemmate, digna equidem tali stipite gemma, inoculatus sit. Ecquis vestrum non videt, Academici, opima illa spolia, ornamentaque magnifica literarum, quæ per gentiles collecta velut in triumpho secum aduehit Cæsar, Aulam istam Sapientiæ sacram ingressus? Infert huc primùm monumenta sacra vetustatis Montij illius apud Sidonium, sapientiæ fama con-

spicui.

spicui. Alterius item Montij Præfecti, Theodosio seniore Cæsare, Viri ea tempestate amplissimi, cui Libanius argumenta in Demosthenem hortatu ipsius edita nuncupauit: vt intelligatis, Montiam gentem, hæreditario quodam iure, nomen Mecœnatis honestissimum vendicare: atq; aliud quidem stemma pro rerum successibus accipere potuisse: patrimonium verò literarium vnà cum auito nomine integrum, inuariatumq; à maioribus deriuasse. Infert huc Votieni gloriam, cuius ego ingenij encomium ideo tacitus prætermitto, quòd Taciti testimonio celebre proclamatur. Infert Hieronymi I.C. lauream, qui vulgato de Finibus disertissimo volumine memoriam sui in Æternitatis Templo consecrauit. Infert thesauros eruditionis ingentes Petri Brixiensis Episcopi, qui non libros sed librorum cumulos, fœlicissimam prolem diuini ingenij, omni fato superstitem reliquit: in queis Romanorum Pontificum, generalium Conciliorum, Cardinalium, Cæsarum, sua cuiusq; iura dignitatemq; acerrimè tuetur. Infert huc eodem trophæa Antonij Cardinalis, qui Clementis Septimi patruus, atq; Vrbis Romæ illo absente Legatus, tantum fortunæ splendorem incomparabilis literaturæ gloria cumulauit. Eius siquidem consilio & habitum est Romæ generale Concilium Lateranense, & Pisano cladem ingentem Reip. Christianæ minitanti abrogata fides. Gratior est, iucundiorq; spectaculo series illa Patrum, quam tecum illatam, Cæsar, studio æmulationis videmus: Princiuallis Proauus, cuius insignis facundia in magnis

pro Francisco secundo Mediolanensi Duce legationibus ad Heluetios, ad Florentinam Rempublicam, ad Regem Gallorum spectata fuit: Hieronymus Auus Senator Regius, idemq; summus arbiter ingeniorum: Princiuallis Pater, Rei literariæ non minus, quàm Senatorij Ordinis lumen clarissimum, cuius etiam nùm occidui radios intuemur: Dicam meliùs: æmulum te, Cæsar fili, & quasi vicarium sidus suffectum, vt acceptam à maioribus lucem restituas fæneratam. Sed in tanta triumphi pompa nihil ita vel rapit oculos nobis, vel tibi addit animum, vti Mons ille inter gentiles Montios eminentissimus, ac Cælo proximus, Iulius Tertius Pontifex Maximus de Orbe Christiano optimè meritus, qui in ipso adhuc limine iuuentutis tàm præclarè dicendi facultatem cum ciuili prudentia copulauit, vt Iulio secundo Pontifice, habita in Concilio Lateranensi luculentissima dictione, vniuersos illius consessus Patres, ipsumq; Pontificem sibi mirificè conciliaret, ac tùm primùm ad sacros honores vestigium ponere videretur. Quare sicut hic ab eruditione auspicium fecit sacræ dominationis, vt maiora subinde in Aula Romana capessens munera, in summum deniq; apicem Pontificatus pertingeret: sic tibi quoq;, Præsul amplissime, id ipsum certò ominari facile est: vt, quando eadem hactenus legisti vestigia, eandem quoq; fortunam, eundem exitum fœlicitatis sortiare: Atq; vt ille fortunæ suæ Numen Iulium Secundum agnocens, ipsius nomen quasi accepti beneficij præconem assumens, Iulius Tertius in-

auguratus est : nonne mihi vaticinari licuerit, Cæsar, ac libera voce præcinere, adesse hic Iulium Quartum, offerri nunc illum præcoci specie, nostris obuersari oculis maiestatem Pontificis, adeoq; fore quàm primùm, vt Iulium Tertium Pontificem Maximum in te gentili meritissimo reuixisse, aut certè transmisisse honoris insignia videamus? O ætatem illam fortunatissimam: O planè aureum sæculum, quando conspiratione siderum, coeuntibus bellè nominibus Cæsaris ac Iulij, conspiciet Roma restitutum sibi Iulium Cæsarem, Orbe vniuerso longè fæliciùs, quàm superioribus olim sæculis, dominantem. Hæc inquam auita spolia, hos thesauros domesticos Sapientia tecum infers hac luce in Academiam nostram, vt illud testatum reddas, in literario certamine suum quoq; adesse Cæsarem: nec desiderari in ea Ciuitate Romanum splendorem, quæ septenis Collibus, habet, quos obijciat, prodigiosos Montes. Neq; verò idcirco triumphare te dicam sapientiæ atq; eruditionis gloria, Cæsar, qui, etsi fælicitate progressus, viceris: tàm multos nihilominus reperis in tua Gente, huiusce laureæ consortes, vt non tàm victor illorum, quàm commilito: non tàm æmulator, quàm assecla fortunatus dici possis. Habes aliud multò dignius, multoq; ad gloriæ immortalitatem illustrius: habes cumulatam Religione Sapientiam, tanta cum inuidia superiorum temporum, vt, quæ duo in Maioribus alijs distracta fuere, in alijs vulgaria, conciliata in te, & quodam quasi coniugio fæderata summa spectentur. Quid enim tùm aliud voluisti

adole-

adolescens, quùm in petitione Collegij Iurisconsultorum, insignia Clericalis ordinis præbuisti? Sanè in illo atro colore religiosæ vestis, candidatum prætefe-rebas non minùs Christianæ pietatis, quàm adoreæ literariæ: Indicebas municipibus simul atq; Gentilibus honestissimum certamen de vtriusq; palma virtutis, de quibus non multò pòst Vaticana purpura paludatus triumphares: Affectabas antiquum illud, nouum tamen exemplo nomen, nulli mortalium adhuc partum: Vt nequaquam vel Eruditione sola, vel Pietate cæteris emineres: sed euaderes IN VTROQVE CÆSAR: Agitabas inter alienas istas personas sacrosanctum fœdus coniugij, cui celebrando mox ipse præesses, & summas virtutes summus aliquando Pontifex ad omnem posteritatis memoriam sociares. Nihil hic dicam, quibus exemplis tyrocinium literarij studij, ac morum disciplinæ in hac vrbe patria exegeris, cum ita fuerint in oculis ciuium, vt frustra à me orationis lucem expectent. Quid? ne exteros quidem latere possunt, quibus ex diurno isto fulgore promptissimum est Auroræ crepuscula coniectare. An verò iacere potest in tenebris, quod in sole Vrbis Romæ, omnium in se se gentium ora conuertit? Adhuc Referendarium agebas, Cæsar, primo in Aula facto gradu: cum promicans in ore ingenuo integræ mentis radius, atq; in agendis rebus portentosa quædam cultissimi ingenij facilitas, ita tibi vniuersorum conciliauit animos, ita in admirationem rapuit: vt, vbi dicendarum causarum certus in dies definitus est numerus,

rus,

rus, tibi potissimè ob inusitatum virtutis exemplum & pleriq; causam certatim quisq; suam committerent, & Præses illius consessus, posthabitis alijs, plures dicere vltrò permitteret. Vsq; adeò dextrum semper habebas Mercuriũ, vt alijs subinde ascriptus coetibus, eundem continentur habueris cursum, eodem sub tribus Pontificatibus tenore fortunæ, ac fælicitatis vsus fueris. Verùm enim verò in ista præclarissima honoris pompa est aliquid præcipuum, ac peculiare Academiæ nostræ, (Cæsar: vt dum te dignitate simul, ac meritis Eminẽtissimum intuemur triumphantẽ, triũphare nos gaudio, ac prægestire necesse sit. Etenim quòd familiam in hac Vrbe, totaq; Italia amplissimam nactus sis, fortunæ id tuæ fuit: Quòd familiæ ornamenta studiosè æmulatus, virtuti quoq; ascribendum tuæ: Quòd etiam authoramentum honoris ipsa virtus acceperit, non tàm tibi applaudendum, quàm Patriæ, quæ Ciuis trophæa, sua reputat, & in triumphãte Ciue triumphat. Verùm quod exhibes hodierna luce pulcherrimum heroicarum virtutum spectaculum, id sibi Academia proprium vendicat, id sibi deposcit: Socium habere in hac parte patitur neminem: Nihil ex ista gloria, Fortunæ, nihil Virtuti, nihil Patriæ impertitur: Sibi ipsa vni iure plaudit, vni gratulatur. Intelligit quidem non ea tantùm communi ratione, quâ reliqui Mediolanenses Antistites, quorum patrocinio Ioannes Arcimboldus inclyti nominis Patritius hoc ab se fundatum Gymnasium commendauit: verùm peculiari quodam nomine, hoc est veterum tuorum, clarissimaq; familiæ

tuæ me-

tuæ meritorum in Clericos Regulares S. Pauli, huiusce moderatores Gymnasij, atq; institutores Academiæ, te sibi præsto esse Patronum, præesse Tutelarem, adesse Mecœnatem. Siquidem virum inter religiosos doctissimum, inter doctos religiosissimū, qualem tùm deniq; erga studiosos literarum, ac pietatis adolescentes, nisi humanum atq; beneficum præstolari necesse est: vt neq; sciat honestos ingeniorum conatus negligere, qui sui cultum ingenij tanti fecit: neque item velit, qui, quòd in idem aliquando enixè studuit, omnium gratiam, plaususq; demeruit. Quare accipe, Princeps Eminentissime, communia vota Ordinis nostri: qui, vt gratulatur de recenti ista dignitatis Eminentia, qua tui vertex Montis non procul à Cæli vertice consurrexit: ita maiores ad ipsius radicem vmbras nacturum se se confidit, quibus ab omni temporum inuidia tutissimè protegatur.

DIXI.

GRA-

GRATIÆ

EMINENTISSIMO

CAESARI MONTIO.

EPIGR.

Gratia, cui cedit, gratum facunda repoſcit:
Seu re, ſeu dicto gratia grata redit.
Inclyte Mecoenas, quòd limina noſtra ſubiſti,
Gratia ſumma fuit, gratia ſumma manet.
Blæſa ſed ad tantos trepidet cum lingua nitores,
Exorata manu litera munus agat.
Tot grates igitur ſunto, quot pagina in Aula:
Pagina quot verſus, verbaq́ Verſus habet.
Nec ſileant Elementa, licet ſint ſola: loquantur
Ipſi Apices tenues, cunctaq́ Puncta ſimul.
Cumq́ tuas, CÆSAR, celebrarint omnia laudes,
Muta ſe dicent voce locuta nihil.

FINIS.

INDEX

INDEX

In Theatrum Temporaneum.

HEROES
In Theatro monſtrati.

Petrus

Prætermissi sunt.

Alij sexcenti, magni nominis gentiles Montij, Velnti
Votienus, celebris ingenij vir apud Tacitum Annal. lib. 4.
Traulus Eques Rom. apud eundem Tacit. lib. 11.
Iulius, & Curtius Senatores Rom. apud eundem, lib. 13. & 20.
Alius quidam, Quæstor, apud Pompon. Lætum in vita Galli.
Alius eiusdem Gentis, præstantissimi, ac disertissimi nomine commendatus apud Sidon. Apollin. Epist. 11.
Alius item Præfectus, coæuus Libanij Script. vt ex eodem Libanio in Demosth.
Andriaca, Andriolus, Lanfrancus Decuriones Reip. Mediolanen.
Cressinus, è Ciuium numero, qui maiorem centum habebant Mediolani: Qui etiam inter Nongentos Nobiles Consilij Gener. censebatur.
Geroldellus, Io: Ambrosius, Hieronymus ex Centum quinquaginta nobilibus Mediol. qui ad iurandam fidem Ioanni M. Vicecomiti Duci delecti fuerunt.
Andræas, & Porolus ex Septuaginta duobus nobilibus Consilij gener. Mediolani.
Gulielmus summæ auctoritatis in Rep. Mediol.
Henricus Tritauus Eminentissimi Cæsaris, ex Nongentis Nobilibus Consilij Gener Mediol. & ex Centum quinquaginta delectis ad iurandam fidelitatem Ioanni M. Vicecomiti.
Princiuallis Atauus Eminentissimi, ex Nongentis primùm, deinde contracto numero, ex Septuaginta duobus Consilij Gener. Mediol.
Henricus Abauus Eminentissimi, ex Duodemuiris rerum curam habentibus Mediolani.
Alijq; huius notæ Heroes suppressi sunt, nec iniuria. Non enim in animo fuit ex Gentilibus Montijs aggerare MONTEM, sed THEATRVM aperire vni patens obtutui. TEMPORANEVM quoq; spectaculum non omnes necessariò poscebat, quos in Æternitatis Templo admirabunda posteritas dignè spectabit.

Lectori

LECTORI CANDIDO TYPOGRAPHVS.

POST Heroes Gentis Montiæ, Errores noſtros ſubijcere de more ſupereſſet. Sed eos libentiùs dexteritati tuæ cognoſcendos, clementiæ ignoſcendos relinquo. Vale.

LECTORI NIGELLO LIBER.

NIhil in me dignum inuidia præter vnum argumentum. Tibi ſi character bilem ciet, ne tamen ſugilles, caue. CÆSARIS ego Ceruа ſum, aureo in torque deſcriptum gerens, NOLI ME TANGERE. Tu lege, & ſile.